



Relationes Status

Author(s): J. Hagan

Source: *Archivium Hibernicum*, Vol. 5 (1916), pp. 74-156

Published by: [Catholic Historical Society of Ireland](#)

Stable URL: <http://www.jstor.org/stable/25485502>

Accessed: 10/06/2014 21:01

Your use of the JSTOR archive indicates your acceptance of the Terms & Conditions of Use, available at <http://www.jstor.org/page/info/about/policies/terms.jsp>

JSTOR is a not-for-profit service that helps scholars, researchers, and students discover, use, and build upon a wide range of content in a trusted digital archive. We use information technology and tools to increase productivity and facilitate new forms of scholarship. For more information about JSTOR, please contact support@jstor.org.



Catholic Historical Society of Ireland is collaborating with JSTOR to digitize, preserve and extend access to *Archivium Hibernicum*.

<http://www.jstor.org>

MISCELLANEA VATICANO-HIBERNICA

(e *Tabulario S. Cong. Concilii*.)

RELATIONES STATUS.

THE papers printed below are taken from the Archive of the CONGREGATION OF THE COUNCIL, which is housed in rather out-of-the-way quarters over the Etruscan Museum in a set of rooms behind the apse that looks down on the garden of the *Pigna*.

This Congregation was instituted by Pius IV in 1564 to enforce the observance of the disciplinary decrees of the Council of Trent; in 1585 its powers were extended by Sixtus V to the interpretation of the Trent decrees; and in progress of time other functions were added, *e.g.*, the revision of the decrees of provincial Councils, questions affecting diocesan residence, cases of appeal from inferior tribunals, the matter of ecclesiastical immunity, and last, but not least, the hearing and examination of the *Relatio Status* made periodically on the occasion of the Visit *ad Limina* rendered obligatory by Sixtus V in 1585.

A much larger number than a score of such reports from Irish dioceses might have been expected; but the scarcity is readily accounted for, if one but remembers the circumstances of the times—the difficulty of communication, the danger of documents being intercepted, the slender resources which a bishop of the period had at his disposal, the fewness of bishops in Ireland during most of the century-and-a-half subsequent to the Sistine decree, the dispensations frequently granted on account of the calamitous times, the fact that reports were often sent to Propaganda rather than to the Council, desuetude introduced by a variety of considerations, and to some extent perhaps because a verbal report was sufficient in the case of bishops making the *Ad Limina* visit in person. At the same time it should be observed that as the Archive of the Council is none too easy of access, and as the official who had the power of

the keys thereof did not err on the side of generosity in the matter of facilities for consultation, the possibility of other reports coming to light is by no means excluded, though the probability of this happening may be regarded as sufficiently remote.

It may be useful to future explorers to know that in addition to the section containing the *Relationes Status*, there is a much larger section consisting of some 7,000 huge MS. volumes called *Sessiones* and *Positiones*, containing the documents bearing on every doubt, difficulty and contentious case brought before the Congregation in connection with the interpretation and observance of the decrees of Trent. Among these 7,000 volumes there is doubtless some material relating to Irish affairs, particularly in matters contentious, but hardly in such quantity as would repay systematic search. The only case that came under notice was the old bone of contention between Tuam and Galway, tried by the Council at the instance of Archbishop O'Queely, about 1638.

J. HAGAN.

Irish College, Rome.

DUBLIN,* 1619.

Clausula epistolae Archiepiscopi Dublinen. Dⁿⁱ. Eugenii Matthaei Anglice scriptae, qua rogat fr. Lucam Waddingum sacrae Theologiae professorem in Urbe, in aede d. Petri in monte aureo commorantem, ut pro se visitet limina Apostolorum et Dublinen. ecclesiae rationem Smo. Dno. reddat:—

“Rogo te ut te praesentare velis coram D. Cardinali Protectore † ad reddendam rationem suae Sanctitati pro me et pro mea Ecclesia; sicut in meis litteris suae Illmae Dominationi insinuavi, quod propter molestias et impedimenta non possim ipse illuc ire aut alium quempiam illuc mittere ex meo capitulo aut ex meo clero, te ad hoc munus assignavi; cui poteris declarare persecutiones nostrae patriae et specialiter meae ecclesiae, quia est praecipua residentia protestantium et haeticorum, et quas vexationes egomet ipse prae aliis patior, ita quod non possim secure per duas noctes sub eisdem domibus

* Eugene Matthews, appointed, May 2, 1611; d. 1623.

† Card. Verallus.

delitescere. Hanc curam tibi committo ad implendum iuramentum quo praelati ecclesiarum nos obstringimus ad visitandam Sedem Apostolicam vel per nos vel per alios quolibet quadriennio, ut nostri et ecclesiarum rationem reddamus.”

Et ego fr. Lucas Waddingus attestor et fidem facio hanc translationem Latinam concordare cum originali Anglico ipsius epistolae, quae apud me remanet, quam si necessarium fuerit praesentabo et ostendam Dominis Congregationis, quandocumque suis illis Dominationibus placuerit. In cuius testimonium nomen meum subscripsi in aede S. Petri in Monte aureo, III Kalend. Novembris ann. 1620.

Fr. Lucas Waddingus

Hibernus Theologiae professor.

III^{mi}. et R^{mi}. Sig^{ri}.

L'Archivescovo di Dublino espone humilmente alle SSrie. VV. Illme. et Rme. come essendo il clero, religiosi, et altri ecclesiastici della sua diocesi posta fra gli infedeli talmente perseguitati da quelli heretici, che non possono se non nascostamente attendere al culto divino, non ha per bene di abbandonare la cura di quell'anime, et non havendo alcun frutto della sua Chiesa se non poche elemosine con le quali si sostenta, et ancora per il pericolo manifesto che c'è invenire per li heretici che stanno in tutt'i i porti maritimi, non puol venire in persona ne mandare altri a posta a sodisfare al debito di visitare i sacri limini conforme alla costituzione della sa: me; di Sisto et anco al proprio giuramento già fattone; Per tanto supplica le Srie. VV Illme. et Rme. si degnino concederli che possi per questa volta visitare per mezzo del Procuratore fra Luca Guaddino di quello regno, existente in Curia, Che lo riceverà a grazia singolare delle SSrie. VV. Illme. et Rme. Quas Deus, etc.

RATIO QUAM PRO PERILLUSTRI ET RMO. D. EUGENIO MATTHEO ARCHIEPO DUBLINEN. ET SUA ECCLESIA IN PROVINCIA LAGENIAE IN HIBERNIA CONSTITUTA REDDIT FRATER LUCAS WADDINGUS HIBERNUS WATERFORDIENSIS SACRAE THEOLOGIAE PROFESSOR IN CONVENTU SCTI. PETRI IN MONTE AUREO AD PRAENOMINATI ARCHIEPISCOPI INSTANTIAM.

Ad undecim abhinc annos translatus est praedictus Dominus ab Episcopatu Clocherensi in Hibernia per SSmum D. Paulum Papam

V. ad hunc Archiepiscopatum, ad mortem vel decessum Rmi. Dni. fris Matthaei de Oviedo Hispani ex ord. Minorum assumpti.

Magnum semper exhibuit specimen in Urbe, in Hispania et Belgio ubi litteris operam dedit, et in Hibernia, suae egregiae indolis, pietatis, virtutis et erga res Catholicae fidei imperterriti zeli; in maximo pretio habitus apud omnes propter magnam generis nobilitatem et morum probitatem necnon sacrarum ac humanarum litterarum peritiam.

Per septem vel octo annos, quibus praesens ministrat vel curat res sui Archiepiscopatus, multorum et praecipuorum hominum mores in meliores mutavit, iuramenta, factiones et multa vitia et abusus extirpavit, sacramentis semper et verbo Dei suas oves, etsi cum magno sui capitis discrimine, refecit.

Persecutionibus et hereticorum insectationibus ita moleste agitur, ut per plures dies in eodem loco consistere nequeat, nec ei in habitu clericali aut ecclesiastico, sed more seculari, incedere liceat, modo inter parentes, modo inter fideles suos subditos delitescens, ut fidelium necessitatibus se possit reservare.

Ecclesia Dublinensis sita est in Civitate Dublino totius Regni emporio ubi Prorex Anglicus et Curia, vel Consilium residet ministrorum haeticorum ab Anglorum Rege deputatorum, cuius Ecclesiae fructus colligit et comedit vel dispergit Archiepiscopus Anglus Calvinista a Rege promotus, vel in hanc dignitatem sua illa impia potestate pretensa intrusus, ita ut Archiepiscopus Catholicus, et ab Ecclesia Romana vere et legitime procreatus curam agat animarum Catholicorum Hibernorum qui degunt in illa dioecesi inter eos secreto conversans et ab eis pro sua erga res fidei et ecclesiasticas pietate et gratitudine quae sunt victui et vestitui necessaria recipiens.

In illa dioecesi magnas subeunt multas et molestias Catholici vocati aliquando in discrimen capitis et bonorum confiscationem quia nolunt accedere ad Ecclesias haeticorum et contra suam conscientiam, aequitatem et rationem ipsam Regem Angliae profiteri Caput Ecclesiae Anglicanae, cuius et ceterarum per orbem dispersarum, laudabiliter et constantissime defendunt Hiberni esse Papam, ob quod ab haeticis Papistae veluti in opprobrium, quod in gloriam et honorem ducunt, ubique appellantur.

Adiuvantur et foventur in illa dioecesi Catholici et firmiores quotidie redduntur per sollicitam curam dicti Archiepiscopi et exhortationes praedicationesque ecclesiasticorum praecipue religiosorum in illis partibus hinc inde pro locorum, oppidorum, et fidelium necessitate circumcursantium, et hereticorum technis et machinationibus obviantium. Nam Ministri heretici subdolis et iniquis legibus

conantur Catholicos in laqueum ducere et in scandalum, formam quamdam iuramenti de primatu Regis et obedientia omnimoda ei exhibenda eis offerentes quam nisi admiserint varias rebellium subeunt poenas. Colonias etiam novas in illo Archiepiscopatu introducunt Anglorum et Scotorum sectariorum, expellentes a propriis laribus Catholicos recusantes, per terminos peremptorios statutis anni temporibus assignandos, et nolentes ceremoniis et offitiis hereticorum interesse. Ibidem etiam, sicut et in toto Regno prohibentur a magistratibus et offitiis publicis Catholici, undequaue et ubique circumventi a sectariis ut a fide deficiant.

Nullum est beneficium ecclesiasticum quod possidere liceat Catholico sed omnia habent usurpata et fructibus eorum potiuntur sectarii, ita ut ministri Catholici solis elemosynis vivant fidelium.

Ipsa Archiepiscopus per se ob praedictas rationes personaliter non potuit adesse ut huius suae Ecclesiae et regiminis rationem redderet, nec alium e suo clero designare, tum ob expensarum penuriam, quippe qui suis non fruuntur beneficiis, tum ob magnum quod imminet in portibus maritimis periculum: in omnibus enim constituti sunt et assignati ab Anglorum Rege exploratores et lictores qui Romam, Italiam, vel Hispaniam aut Catholicorum Regna petentes diligentissime et callide examinent, et externos ad Hiberniae regnum adventantes explorent, apud quos si quodpiam deprehendant ecclesiasticum, aut quod rem Romanam redoleat, eos statim in vincula coniiciunt, iudicium Capituli, vel aliud quodpiam ad Proregis placitum subituros, et nautas vel mercatores tyrannice suppliciis afficiunt, et naves mercesque regio abdicant fisco, tantaque est horum exploratorum diligentia in Catholicorum rebus prodendis ut nec litteras tute et absque periculo Catholici ad has partes mittere possint, ita ut litterae ipsae in quibus praedictus Archiepiscopus hanc curam nominato fratri Lucae commendat, non sine periculo eorum manus evaserint et post quatuordecim ferme menses ad eius manus pervenerint.

Propterea praedictus Archiepiscopus orat Illas Dominationes vestras, ut eius nomine praedictum fratrem Lucam Waddingum admittatis, ut pro eo sanctorum Apostolorum Limina visitet, eiusque relationi plenam circa praedictam Dublinensem Ecclesiam fidem adhibeatis, quod pro maximo reputabit beneficio orabitque ut Illas Dominationes Vestras Deus in multos annos conservet incolumes.

Cum Archiepiscopus Dublinen. in partibus infidelium existens non possit ipse per se ad visitanda Beatorum Apostolorum limina

accedere nec alium specialiter delegare eo quod sub poena privationis vitae et bonorum prohibeantur ibidem Christifideles de rebus ecclesiasticis ad sedem Apostolicam litteras dare aut transferre et publice Christianam fidem profiteri ; petit se admitti ad ipsa limina visitanda per Rev. fratrem Guadinum sacrae Theologiae Doctorem, qui superioribus annis ab eius Dioecesi ad Urbem se contulit, et illius Ecclesiae statum optime novit.

Cum idem Archiepiscopus ab anno 1611 quo ad eam Ecclesiam fuit promotus huic muneri visitationis ob causas praedictas satisfacere non potuerit supplicat pro absolutione a censuris et poenis, si in quas forte hac de causa incidit.

Die 19 decembris 1620 Congregatio Concilii impedimenti aequitate permota censuit esse admittendum hac vice ad limina visitanda procuratorem Episcopi licet pro aliis negotiis iam pridem ad Urbem venerit, atque Episcopo concedendam absolutionem ac dispensationem petitam.

[*Endorsed.* DUBLINEN. RELATIO NONI QUADRIENNI
EXHIBITA PER PROCURATOREM EXPRESSUM IN
LITTERIS, HAC DIE 27 SEPTEMBRIS 1619 EXPEDITA.]

*Ex Regesto Litterarum responsoriarum in Vis. SS. Lim. vol. VI.
fol. 78 sqq.*

D. Epo. Dublinen.

Rehme, etc. Amplitudinis Tuae procurator ad visitanda SS. Apolorum limina ablegatus proximis superioribus diebus ipsa limina pie ac reverenter visitavit ; licetque de istius Ecclesiae calamitoso ac miserabili statu multa retulerit Congrui Illmorum Patrum Concilii Tridentini Interpretum cui munus hoc audiendi a S.D.N. iniunctum fuit, quae non sine gravi animi dolore audita fuere : tamen non mediocri gaudio Patres ipsi affecti sunt cum intellexerint Amplitudinem Tuam in istius Regionis calamitatibus ac luctuosa conditione a suo pastoralis munere exercendo non desistere ; imo quo maiores sibi difficultates obiiciuntur eo maiorem diligentiam ac sollicitudinem impertiri, pietatem, charitatem, religionem ac vigilantiam omnem adhibendo. Qua quidem in re ut constanter perseveraret, Sacra Congregatio eam cohortaretur, nisi pro certo haberet Amplitudinem.

Tuam pie ac solícite isthic pro animarum salute laborantem, omnia quae ad religionem divinumque cultum vel restituendum vel conservandum adiumento esse poterunt alacri ac prompto animo per se ipsam esse praestituram. Illud Nos a Deo precamur, ut pios ac salutare Tuae Amplitudinis labores omnes sua ope fovere eique gratiae suae praesidio semper adesse dignetur.

Romae die 20 Decembris 1621.

KILMORE,* 1629.

Illmi. et Revmi. Domini.

Provide ad illius Evangelici hominis bonorum suorum dissipationem metuentis ideoque rationem villicationis a prodigali villico exigentis exemplum universalis Dominicae vineae cultor et custos sancivit, et omnes cathedralium Ecclesiarum Praelatos solemnium iuramento adstrinxit, ut certis, pro regnorum tamen varietate, diversis temporibus spiritualis suae villicationis rationem redderent; nam si ab eo cui minora, videlicet, temporalia commissa sunt, districta exigatur ratio, ab eo utique cui maiora, spiritualia scilicet, concredita sunt, districtiorem rationem exigi aequum est. Nihil igitur magis optans quam Apostolicis mandatis quam celerrime obtemperare, ego iuxta iuramenti a me praestiti obligationem, huiusque Regni praescriptam normam quolibet quadriennio Apostolorum Limina visitare, et SSmo. Domino Nostro pastoralis mei officii rationem reddere teneri libenter agnoscens; idque tamen neque per meipsum, neque per alium certum e gremio mei Capituli aut ex cleri conventu, ob praesentium temporum calamitatem, variaque terra marique pericula praestare valens, per Regularem Sacerdotem ad hoc speciale mandatum habentem, meaque legitima impedimenta Illmo. et Revmo. Cardinali Ludovisio, Regni nostri Protectori, declarantem adimplebo, et pastoralis officii a me in Killmorensi dioecesi, Ardmachanae Provinciae, hocce iam quadriennio gesti, prout sequitur rationem reddo.

Ad Episcopatus Killmorensis dudum solliciti Pastoris solatio destituti regimen accedens, pleraque confusa et a disciplina Ecclesi-

* Hugh O'Reilly, appointed June 9, 1625; transferred to Armagh, 1628.

astica deviantia repperi, tum pro modulo et posse meo omnia ad meliorem statum redegi :

1° Cum alias sub dio aut in locis indecentibus sacrum Missae sacrificium ubique celebraretur, et sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum fideli populo non sine magni sacrilegii periculo administraretur, in singulis parochiis domos ecclesiasticas sive oratoria nitida aedificari mandavi.

2° Calices aut aureos aut argenteos ornamentaque munda et decentia singulos parochos emere et habere praecepi.

3° Sacra olea statutis a iure temporibus renovari, et sacramenta cum debitis ceremoniis administrari iussi.

4° Clerum meum habitu decenti incedere, a scandalosis conversationibus et illicitis actibus abstinere et cessare omnino praecepi, et quoscumque clericos aliter degentes aut se gerentes inveni, omni beneficio vel officio privavi vel e finibus meae iurisdictionis reieci.

5° Parvulorum et adultorum innumerac multitudini confirmationis sacramentum administravi adeo ut, omissis paucioribus numeris ad me continuo accedentibus, quodam tempore per tres integras hebdomadas singulis diebus non minus quam mille quingentas personas confirmaverim.

6° Sacrorum Conciliorum vestigiis insistens nullos praeter idoneos patriaeque idoneos aut utiles aut summe necessarios ordinavi.

7° Denuntiationes matrimonio praemitti debitas, sed hic a longo tempore omissas, fieri et practicari mandavi.

8° Divortia frequentia quae hic alias ex officiaium ignorantia vel avaritia fiebant, et ex quibus plurima scandala et confusiones oriebantur cessare coegi.

9° Nobilium, cleri, et populorum rixas et lites cum magna patriae utilitate, pace, et quiete saepe composui aut sopivi.

10° Furta, latrocinia, et ebrietates similesque Reipublicae pestes variis utendo mediis e meis finibus expuli.

Atque haec omnia aliaque quae brevitatis causa iam scribere omitto, absque ullo nostrorum in fide adversariorum murmure aut obloquiis, immo cum cunctorum maxima laetitia, solatio, et utilitate a me hocce in quadriennio praecepta, et executioni demandata sunt : quibus maiora (Deo iuvante) posthac si tempora permiserint a me

gesta Illmae. Dominationes Vestrae recipient. Interim vero Deus opt. Max. Illmas. et Revmas. Dominationes Vestras ad maximam Ecclesiae suae utilitatem incolumes conservet.

Illustrissimarum et Reverendissimarum Dominationum Vestrarum
Servus in Christo Humillimus

Hugo Relly electus Archiepiscopus Ardmachanus

Datum in loco mansionis
nostrae septimo septem-
bris anno 1629

Illmis. et Rmis. Cardinalibus Sacri Concilii

KILMORE,* 1634.

Beatissime Pater

Post pedum sanctorum oscula, et immortales gratias Vestrae Sanctitati, quod me licet immeritum ad episcopalis dignitatis culmen in dioecesi Killmoriensi Ardmachanae Provinciae in Hiberniae Regno evexerit, Sanctitatis Vestrae humillimus servus ego Eugenius Suinaeus Killmorensis Episcopus agnosco me hocce quarto a mea consecratione anno teneri Apostolorum Limina vistare, deque toto meo pastoralis officio Sanctitati Vestrae rationem reddere. Verum, ob temporum praesentium calamitosissimorum, terra marique pericula, et locorum distanciam id per me praestare non valens, prout cunctis patet qui statum huius Regni vel in minimo norunt, nec habens ullum de gremio mei Capituli, vel in dignitate constitutum vel e clero sacerdotem, qui ob praedicta impedimenta, necnon expensarum defectum, supradicta vice mei exequi posset, sapientissimum Dominum Edmundum Dowyer sacerdotem spectatae vitae et probitatis et Doctorem Theologum iam in Urbe existentem publico officio ibidem pro nostro regno fungentem, meum nuncium specialem ad causas legitimas quae me a dicta visitatione impediunt probandas nomino et assigno,

* Eugene Swiney, appointed, Sept. 18, 1628 ; died Oct. 18, 1669.

et ipse pauca sequentia tamquam ratiociniorum compendium ad Vestram Sanctitatem humillime mitto :

Electus et confirmatus, post receptionem Bullarum Apostolicarum mearum, quam celerrime potui munus consecrationis, licet non sine magna difficultate, ab illmo. et Revmo. Thoma Archiepiscopo Dublinensi, assistentibus eidem Rmis. Thoma * Midensi, et Ioanne † Rapotensi Episcopis suscepi, cum fidei Catholicae et fidelitatis iuramenti formas meo sigillo munitas ad Vestram Sanctitatem sine mora destinavi.

Consecratus, in mea dioecesi continuo residebam, sedulam navabam operam et diligenter incumbere iis quae ad meae Ecclesiae statum, ad cleri populique disciplinam ac reformationem et animarum meae curae commissarum salutem pertinebant. Nam non tantum ea quae ad episcopalem, sed etiam quae ad sacerdotalem et pastorem munus spectabant, quoties se offerebat occasio, exercebam. Innumeras multitudines tam in mea quam in vicinioribus dioecesibus (de Ordinariis semper consensu) confirmabam, multos presbyteros ordinabam, haereticos sexaginta aut circiter Ecclesiae Catholicae reconciliabam, missiones ad reconciliandos peccatores per meam dioecesim frequenter indicebam; verbum Dei non solum per alios sed et per meipsum quoties corporis valetudo aut negotiorum multitudo permittebat, populis praedicabam. Meam dioecesim quotannis visitabam et bis in anno, quoties opus videbatur, clericum meum in unum congregabam et in illis congregationibus multa tam ad cleri quam ad populi reformationem salubria statuta condebam. Varia tam a contumacibus quibusdam clericis, quam a laicis passus sum persecuciones et molestias, adeo ut non solum latere, sed etiam aliquando e mea dioecesi recedere coactus sim, a qua tamen, nisi pietatis aut necessitatis causa numquam abfui. Saepe a persecutoribus meis ad saecularia tribunalia vocatus et citatus ire semper recusavi, ecclesiasticam quantum potui defendens immunitatem. unde iam in evidenti sum periculo, quod propter talium citationum contemptum iudicum saecularium edicto in exilium sim amandandus. His multo plura Vestrae Sanctitati, si periculum interceptionis, quam et in his etiam vehementer timeo, referenda haberem, sed haec ad meam obedientiam erga Sanctitatem Vestram et Sedem Apostolicam ostendendam, usque ad meliora tempora sufficere existimans Deum opt. Max. precor ut Vestram Sanctitatem universali

* Dease.

† Culenan.

totius Ecclesiae et nostri afflicti Regni bono diutissime incolumem servet.

Sanctitatis Vestrae

humillimus servus

Eugenius Epus Killmoren. .

Dat. in Loco refugii
nostri 2° Martii 1634

[*Endorsed.* KHILMOREN HIBERNIAE RELATIO STATUS
ECCLESIAE KHILMOREN IN HIBERNIA PRO 13
QUATRIENNO EXHIBITA DIE 3 MARTII 1636 A PROC-
RE EX DECRETO SSMI. D.N. QUAMVIS IN CURIA
EXISTENTE ADMISSO.]

OSSORY,* 1635.

David Dei et Apostolica gratia Episcopus Ossoriensis Rdo. Domino Edmundo Duyer, S. Theologiae Doctori et presbytero Hiberno: Cum nobis innotuerit Sacram Congregationem Eminentissimorum DD. Cardinalium ad deliberandum de rebus Ecclesiae Hiberniae salubriter institutam, annuente SSm. D.N. Urbano Papa, in favorem Episcoporum Hiberniae decrevisse, ut obligationi ipsorum de visitandis liminibus Apostolorum quolibet quadriennio possint et censeantur satisfacere per procuratorem etiam non dioecesanum, etiam in Curia residentem: Nos, gratiosi huius decreti beneficio freti, Te de cuius prudentia fide et integritate confidimus, nostrum verum et legitimum procuratorem per praesentes instituimus, ordinamus et deputamus ad praemissa fideliter exequenda, tibi que iniungendo, committimus ut nostro et Ecclesiae nostrae nomine, te sistas et praesentes coram Emis. DD. Cardinalibus Sacri Concilii Tridentini Interpretibus, eisque Ecclesiae nostrae statum a nobis conscriptum, quem his nostris litteris adiunctum transmittimus, exponas eorumque mandata reverenter suscipias ad nos opportune destinanda, ceteraque omnia facias et exequaris quae nos ipsi facere et exequi vellemus et teneremus si praesentes esse possemus. Datum in loco praesentis nostrae habitationis in hac nostra Ossoriensis Dioecesi ultimo die mensis Aprilis Anno 1635.

[L.S.]

David Epus Ossorien.

* David Rothe, appointed Sept. 1, 1618; died 1650.

DE PRAESENTI STATU OSSORIENSIS DIOECESIS

Haec Dioecesis, ut est vetustissima, utpote inchoata a Scto Kirano, qui fuit Scto. Patricio primario Gentis apostolo coevus, ita multis nobilitata est terrae dotibus, et pietatis maiorum nostrorum monumentis. Denominationem habet non a civitate aliqua particulari sed a toto Territorio et Regione, quae dicitur Ossoria. Haec proxime coniuncta est Aeliae Caroliae, in qua prima sedes cathedralis sita erat, sub primo dioecesis episcopo Scto. Kirano, in Seir Keran municipiolo, inde translata in opidulum quod a vado boum dicitur Aghbo, tandem sub Episcopo Felice Dullanio, qui sanctitatis opinione floruerat, traducta est in civitatem Kilkeniae in qua per annos quingentos circiter manet.

Cathedralis Ecclesiae structura ampla est et magnifica, et in circuitu eius habitant Dignitarii omnes. Palatium Episcopale ab oriente cernitur; Decani vero domus ex adverso in occidente. Reliquae vero dignitates sua habent domicilia, Praeceptor, Archidiaconus, Thesaurarius, Cancellarius ut in procinctu serviant divino cultui. Collegium Vicariorum choralium positum est intra fines pomerii Ecclesiae: praebendarii Canonici numero septenario vocem habent in Capitulo.

Rectoriae, Vicariae et Capellae parochiales sparsim per totam dioecesim superant numerum centenarium; et loca haec atque proventus et redditus ecclesiasticos universos occupat clerus heterodoxus. In ipsa civitate sunt quatuor solummodo Parochiae, et cum omnia beneficia, obventiones, solutiones, oblationes et decimae de facto possideantur a Protestantibus, tamen habitatores pro multo maiori parte Catholici sunt, quibus in conscientiis regendis et ministerio sacramentorum ac verbi divini praedicatione deservit clerus Catholicus numerosior sane quam facultates civium et incolarum bene possint sustentare, hoc praesertim tempore quo extraordinaria tributa sunt in Comitibus ultimis imposita toti Regno, et subsidia et angariae super vires incolarum.

Clerus urbanus constat duplici classe, saeculari et regulari; saecularis seu pastoralis octonarium numerum facit; regularis superat hunc censum; nam ex Ordine S. Francisci habitant in suo conducto Guardianus cum septem fratribus, sed sine stricta clausura et cum gestatione habitus interpolata; saepe enim interpellamur vel timore vel angore vel occurrentibus hinc inde quotidianis necessitatibus, ut non nisi veste laicali prodeundum sit.

Oratoria vel abdita in angulis et recessibus, vel opere tumultuario ex luto et stramine visuntur; nam quae erant magis conspicua et

splendida in fiscum regium ante annos circiter quinque redacta sunt, unum parochiale et tria diversorum Ordinum Regularia. Praeter Franciscanos quos dixi sunt etiam Dominicani tres : et Societatis Iesu tres statarii praeter supernumerarios, qui crebro huc veniunt aliunde, ad praedicandum et catechizandum a Superioribus suis missi. Cistercienses, qui aliquando plures, aliquando pauciores morantur, et Carmelitae excalceati qui bini vel terni commorabantur.

Et tametsi nec Carmelitae nec Cistercienses umquam habuerint monasterium in hac civitate ipsa, tamen in dioecesi habebant olim Cistercienses quidem duo satis opulenta ; et Carmelitae mitigati unum. Canonici vero Regulares intra muros civitatis unum habebant monasterium, sed extra quinque Prioratus obtinebant satis opimos, cum uno insuper Monialium. Sed omnes isti Regularium locorum proventus et ipse Monasteriorum situs cum omnibus fundis et praediis eorum a tempore schismatis cesserunt Fisco Regio et occupantur manu laycorum, vel ex donatione Regum vel e contractu emptionum permutationis emphyteusis, etc. sub annuo censu impendendo Regis aerario. Franciscani in tota dioecesi nonnisi unum, et id in ipsa civitate Monasterium habuerunt ; Dominicani vero tria possidebant, unum intra civitatem, alia dua extra. Haec vero omnia omnium Ordinum Regularium loca destructa sunt vel conversa in usus profanos.

Parochiales autem ecclesiae subsistunt integrae sed a Protestantibus ministris occupatae ; et inter eas si quae neglectae corruerunt, novo Parochianorum onere et sumptu non modico restaurantur. Nam quia Catholici iamdudum desierant eas frequentare, ob infrequentiam ceciderunt rurales parochiae non paucae, et collapsae denuo aedificantur ut eas frequentare plebem compellant Rectores, vel qui se subtrahunt onerentur mulctis aut in carceres compingantur, sicut antehac saepius factum vidimus ; vult enim et pertinaciter instat pseudo-clerus protestanticus persuadere Pro-Regi et his qui a consilio sunt, Catholicos esse nimis potentes et opulentos, qui clerum suum tam numerosum sumptu profusiore sustentant, quam qui a Rege expenditur e publico aerario in militarem et civilem administrationem. Vel haec sola calumnia nobis sufficere deberet ad cautelam, ne superfluis expensis gravemus nostros amicos et receptatores ; quando tam invidiosa criminatione traducimur ab aemulis et adversariis fidei nostrae.

Haec in eum finem profero, non ut accusem cordatos, nec ut excusem inquietos aut nimis audaces, sed tantummodo ut melius intelligatur status huius meae dioecesis ; in qua regenda tanto maior solertia requiritur, quanto plures sunt obices, non tantum ab inimicis, sed etiam ab ipsis fidei domesticis : ab illis quidem per

odium et invidiam, ab his vero per imprudentiam et inordinatum zelum et non secundum scientiam.

Praeter clerum urbanum quem numeravi, habitant ruri et alii sparsim oppidulis, vicis et castellis, de clero pastorali non pauciores quam triginta praeter cappellanos tres supernumerarios, qui Catholicis Anglis, inter indigenas intermixtis, ad divina celebranda, salvo iure parochiali, inserviunt. Et hi omnes ab Episcopis approbati et certis districtibus alligati pro numero et necessitate plebis per delegationem Ordinarii ipsis commissae, diu noctuque, succincti lumbos, advigilant ministerio parochialium sacramentorum suis parochianis impendendo. Caeterum hi nostri, sicut ceteri fere omnes parochi per universum Regnum, non aliunde magis victitant quam ex devota subventionem et opitulatione sui gregis; tenui alicubi promisso stipendio, quod iure naturae debetur, et a plerisque non solvitur, cum tamen dignus sit operarius cibo suo et mercede sua.

Horum quietem simul et Ordinariorum iurisdictionem multum turbaret, si aliunde in eorum labores se ingererent quocumque titulo, etiam concessionis Apostolicae, incogniti et inexperti captatores beneficiorum; qui nec a suis nec ab aliis Episcopis commendati, per ambitionem vel avaritiam supervenirent.

Modus quem adhibeo disciplinae tuendae et augendae talis est: Singulis annis Synodus dioecesana omnium Capitularium et Parochorum celebratur, in qua secundum Canones, causae synodales omnes quam brevissime possumus expediuntur. Instituitur etiam annua visitatio, in qua non solum ministrandae confirmationis debitum officium persolvitur; sed etiam correctionis morum, et decisionis litium, et concordiae propagandae cura suscipitur. Quod tamen hoc anno a me personaliter obiri non potuit, ob invaliditatem, qua domi, consilio medicorum, manendum fuit, ab ineunte Iulio usque ad Aprilem exactum; nunc autem adulta verni temporis amoenitate, statuo exire e latibulo, et quae officii mei fuerint exequi, qua potuero sedulitate, in hoc senili corpusculo quod veterascit, nec procul ab interitu est.

Praeter annuos istos conventus, soleo quater in anno convocare decanos rurales (quos vocamus hic Vicarios foraneos) qui numerum octonarium non excedunt; cum his et cum Dignitariis Ecclesiae Cathedralis, Decano (qui idem est Vicarius Generalis) Archidiacono, Praecentore, adiuncto toto Clero urbano, quando urget negotii gravitas, pertracto de toto regimine ecclesiastico, et de emergentibus causis et quaestionibus, quae consultationem requirunt.

Ultra hos trimestres congressus, ordinavi menstruas congregationes in quolibet decanatu, ad quas ventitant omnes parochi illius distric-

tus. In his congregationibus ratio redditur temporis ab ultimo consensu exacti, difficiliore conscientiae casus disceptantur, et certa assignatur pro quolibet mense materia studendi, et per vices singuli parochi pensum exsolvent. In his etiam distributio suffragiorum habetur et sacra lectio, sive de vita sancti occurrentis sive de catechistica instructione, seu alia spiritualis vitae alimonia vicissim instituitur. Et pro doctrina christiana in festis dominicis, et, quando id commode et tute fieri possit, horis pomeridianis frequentatur.

Non praetermittitur etiam pro recollectione Parochorum quaesita commoditas qua unus quispiam e Societate Jesu patribus exercet vocatos ad secessum et quietem pro una septimana circiter ut mentali orationi ac viae praesertim purgativae, necnon etiam, quamvis parcius, illuminativae atque unitivae exercitiis muniat et corroboret, Pastores ad vires reparandas et conscientias proprias expiandas, quo vegetiores et alacriores redeant ad operas suas saluti proximorum maxime autem parochianorum sibi commissorum impendendas.

Est etiam opus non exigui fructus in hac dioecesi Sodalitas quae vocatur Congregatio Pacifica sub patrocinio Beatissimae Virginis, sub tutela Angelorum Custodum, sub invocatione Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et sancti Patricii Hibernorum Patroni. Haec regitur a Praefecto qui esse solet e clero pastorali; non admittuntur in eam nisi selectiores personae utriusque sexus; confirmata est et indulgentiis aucta a fel. rec. Gregorio XV. Non est poenitendus hinc profectus concordiae dilatandae, pacis firmandae et reconcilia-tionis multorum dissidentium.

Sunt et aliae Sodalitates, a Patribus Scti. Dominici, Scti. Francisci et Societatis Jesu quae uberem proferunt fructum. Scapularis Carmelitarum Sodalitas, mortuo illo qui eam hic instituerat, et ceteris illius Ordinis hinc nuper recedentibus, exsolescit.

Habemus et in ipsa civitate ex quadam conniventia duas scholas litterarum humaniorum, pro erudienda iuventute: alteram gubernant Patres Societatis Jesu, alteri praeest saecularis Catholicus.

Quae autem industriae excogitatae et pertractatae fuerant pro conglutinandis animis totius Cleri tam Pastoralis quam Regularis per universum Regnum innotescere potuit ex aliis et quidem propriis tractatibus conscriptis et communicatis cum iis quorum intererat, omnia esse apud nos tranquilla et pacata. Et ex his conatibus capita sunt quaedam in Urbem transmissa diversis vicibus, qualis est *Unio Hierarchica*; *Consultatio Unitiva*; *Cautio Ecclesiastica*: de quibus et aliis sacris moliminibus quae temporum calamitas, et quotidiana necessitas suggerebat, praestat nunc silere quam paucis velle exponere quae longos sermones deposcerent.

Ex occupatoribus superius iam dictis ecclesiasticorum proventuum plerique sunt Protestantes particulares vel etiam communitates quae vix reperiuntur immunes a Protestantibus; vel si personae sint Catholicae, quae illa quasi hereditarie occupata a patribus vel avis suis detinent, sopire satagunt et sedare suas conscientias exigua eleemosynarum erogatione in pauperes; nisi tamen se sinant sibi persuaderi a quibusdam ecclesiasticis, maxime Regularibus recentioris instituti, se in conscientia securos esse, per dispensationem Card. Poli, quae sub principibus Catholicis Philippo et Maria, tam in Anglia quam in Hibernia, Actis Parlamentaribus insertam circumfertur. Qua dispensatione nituntur multi et arbitrantur esse saecularizata omnia illa Monasteria; et ab occupatoribus posse tuta conscientia detineri absque ulla compensatione, conventionem vel contributionem in catholicos pauperes eroganda sive ecclesiasticos sive laicos. Et circa hanc quorundam opinionem gravis subinde nascitur disceptatio et sententiarum altercatio in Clero et populo catholico cui determinandae Sedis Apostolicae auctoritatem intercedere debere non pauci existimant.

Haec omnia quae a me hactenus commemorata sunt, pro cognoscendo praesenti statu Ossoriensis dioecesis, cum humili observantia offero consideranda Eminentissimis Patribus et Dominis meis Concilii Tridentini Interpretibus. Quod si tardius aut rarius relationes meae deveniunt ad manus vel aures Eminentiarum suarum non id contumaciae, sed temporis nostri et locorum quae incolimus angustiis et miseriis adscribi opto et supplico.*

[L. S.]

David, Epus Ossorien.

Fidem facio ego insus qualiter R. D. Edmundus Duier Archidiaconus Cathed. Ecc. Imolacen. pro Illmo. et Rmo. D. D. David Epo. Ossorien. visitavit Sacra Apostolorum limina die II maii A. 1636. In quor. fidem.

Ita est: Ego Gabriel Mancinus Vaticanæ Basilicæ Principis Apostolorum Sacrista manu ppria.

Fidem facio ego infraptus qualiter R. D. Edmundus Duier Archidus Cathedralis Ecclesiae Imolacen. pro Illmo. et Rmo. D. D. David Epo

* The Relatio is followed by the usual oath, beginning: "Ego David Epus Ossoriensis, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero B. Petro Aplo, etc.," and by the customary profession of faith, beginning: "Ego David Epus Ossoriensis firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur, etc."

Ossorien. visitavit sacra Aplor. Limina die 10 mensis **Maii 1636**. In quor. fidem.

Ita est : ego D. Gratianus Casarossius Basilicae S. **Pauli extra Urbem Sacrista**, manu ppria.

[*Endorsed.* OSSORIEN. RELATIO XIII QUADRIENNII
EXHIBITA DIE X MAIII 1636. DATAE LITTERAE IN
FORMA * DIE 7 IUNII 1636. NON INDIGET AB-
SOLUTIONE.]

FERNS, † 1635.

STATUS ECCLESIAE FERNENSIS, PROVINCIAE DUBLINEN. IN HYBERNIA
EXPONENDUS EE. DD. CARDBUS. S. C. TRIDENTINI INTER-
PRETIBUS A° 1635.

Eminmi et Rmi. Patres.

Quia nuper indulsit SS. D. N. Urbanus papa octavus (ut ex eius Decretis apparet, quae eddierunt EE. PP. Cardinales qui sub eodem Pontifice rebus Hybernica ordinandis nuper incubuerunt), ut **Episcopi Hyberni** qui propter paupertatem et necessitates Ecclesiarum nostrarum procul a gregibus suis abire non possumus, per Procuratorem etiam non dioecesanum et etiam residentem in Curia, sacra Limina Apostolorum visitemus ; Ideo ego Ioannes Epus Fernen. in procuratorem ad hunc effectum elegi R. Virum Edmundum D. Duyer popularem meum, S. Theologiae Doctorem, qui vestro sacro Senatui Ecclesiae meae statum referat et mandata vestra reverenter excipiat. Status autem Ecclesiae Fernensis est :—

Ecclesia ipsa, olim antiqua et celebris, nunc non nisi in rudibus exhibet vestigia propriae pristinae nobilitatis. Pseudoepiscopus qui diutissime proventibus huius Ecclesiae fruebatur obiit tandem ante paucos menses ; designatus vero dicitur ad successionem D. Andreas Decanus Limiricen. homo austerus et **immitis** ingenii.

Quinque dignitates et praebendae non paucae erant olim in hac

* The registers of the Congregation's letters in reply to each *relatio status* are incomplete, several volumes having been lost during the transit of the Archives to and from Paris in Napoleonic times.

† John Roche, appointed, April 29, 1624 ; died, 1636.

Ecclesia qua nunc occupantur omnes a ministris adversae religionis. Parochiae non minus octoginta per diocesim erant quarum proventus nunc misere vel detenti a laicis vel possessi a ministris heterodoxis.

Et quia plebis pars maxima tota catholica est, designati sunt presbyteri catholici viginti octo qui munia in hac dioecesi pastoralia exerceant, quorum cura penetrat in omnes angulos dioecesis, quamvis nonnisi parce subministrentur ipsis vitae subsidia a fidelibus.

Sunt etiam regulares in hac dioecesi de observantia Scti. Francisci septem vel octo sub titulo Conventus Wexfordiae, et quatuor aut quinque sub simili titulo Rosponti, quorum quamvis sedula sit opera et non ignava postulatio eleemosynae, parum tamen colligunt propter rem augustam in dioecesi; quo attento competentiussime esse ducerem ut una sola exactio fieret pro uno conventu solo quo se reciperent omnes simul quam pro pluribus conventibus in dioecesi plurimum depopulata. Verum hoc non conceditur arbitrio; nam in regione libera unusquisque in suo sensu abundet.

Sunt etiam in hac dioecesi presbyteri Societatis Jesu tres homines probi et operarii inconfusibiles.

Sunt quoque duo Cistercienses qui licet Abbatiarum titulis tumidi, bene tamen concordantes sunt cum Episcopo, quod raro alibi in hoc regno contingit.

Tota suppellex ecclesiastica quae vel ad cathedralem spectabat vel ad Ecclesias inferiores direpta fuit sub initio schismatis; solum in parochiali Rospontina exstant aliquae casulae et calices operis antiqui; habent tamen presbyteri nostri tam civici quam rurales calices et vestimenta non indecentia sua industria et sumptibus parta, quo in genere acquisitionis excellunt Regulares de quibus supra.

Rara apud nostro visuntur lucra lapsorum revertentium ad unionem catholicam, vel quia lapsi plus terreni compendii nanciscuntur, ab ea parte qua manent, vel quia nostra iurgia nos reddiderunt despiciaturos, vel quia non oramus sicut nos oportet; pauci tamen sunt de indigenis qui abierunt a nobis.

Iste Ecclesiae meae status est Eminentissimi Patres, quam fidei protectioni vestrae et meipsum pariter commendo.

Ioannes Epus Fernen.

Fidem facio ego infractus qualiter R. D. Edmundus Duier Procurator Illmi. et Revmi. D. D. Io: Episcopi Fernen: visitavit Sacra Apostolorum Limina hac die XVII Iulii 1635 in quorum fidem scripsi et subscripsi.

Ita est : Ego Gabriel Mancinus, Vaticanæ Basilicæ S. Petri Sacrista manu propria.

Ego infraptus fidem facio qualiter R. D. Edmundus Duiet Procurator Illmi. et Rmi. Domini D. E. Ioannis Episcopi Ferneni. visitavit sacra Apostolorum Limina hac die XXI iulii 1635.

Ita est : Ego Federicus de Marcituliis, Basilicæ S. Pauli Capnus, pro Sacrista, manu propria.

[*Endorsed.* FERNEN : RELATIO XIII QUADRIENNII EXHIBITA A PRORE EX GRATIA IUXTA DECRETUM SSMI. IN CONGREG. DE PROPAG. FIDE. ADMISSE DIE 15 IULII 1635. DATAE LITTERAE IN FORMA 22 SEPTEMBRIS 1635.]

ELPHIN,* 1637.

Ihus et Maria

In Dei nomine. Amen.

Noverint universi huius publici instrumenti tenorem inspecturi, quod anno a Nativitate Domini millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, die vero Decembris vigesimo nono, Pontificatus autem Sanctissimi in Chto. fratris et Dni. nostri Urbani divina Providentia Papae octavi anno decimoquarto, Nos. fr. Boetius Eganus Dei et apostolicæ Sedis gratia Elphinensis Episcopus principaliter et pro nobis ipsis omnibus melioribus modo, via, iure, causa, et forma quibus melius et efficacius de iure possumus et debemus, facimus, constituimus et solemniter ordinamus nostrum verum, certum, legitimum et indubitatum procuratorem, eximium Doctorem Sacrae Theologiae et cathedralis Ecclesiae Imolacensis Archidiaconum, Dominum Edmundum Duir, nostro nomine et pro nobis ad visitanda SS. Apostolorum Petri et Pauli limina ; et ad praesentandam et porrigendam hanc quadriennemalem relationem, et nostrae Elphinensis dioecesis cum omni nostra obedientia rationem Sanctissimo Domino Nostro Urbano papae octavo et Eminentissimis Dominis Nostris

* Boetius Egan, appointed, June 9, 1625 ; died, 1650.

Cardinalibus Apostolicae Sedis. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium hisce subscripsimus et sigillum parvum nostrum quo ad talia utimur adposuimus, osculantes pedes sanctissimi Patris nostri Urbani papae octavi. Datum in Camera nostra privata, in Hibernia ; anno et die quibus supra.

[L. S.]

Fr. Boetius Elphin. Eppus.

Haec est quadriennis relatio status Episcopalis Elphinensis Dioecesis porrigenda SSmo. D. Nro. Urbano Papae octavo, et Eminentissimis Dominis Nostris S. R. E. Cardinalibus etc., per eximium Dominum Edmundum Dwyre, Sacrae Theologia Doctorem et nostrum in Urbe legitimum Procuratorem ad hoc et alia nostra negotia perficienda :—*

Elphinensis Civitas ab Anglis et Scotis Protestantibus totaliter possidetur inter quos nullus Catholicus habitare aut commorari permittitur. Ruri sparsim per totam dioecesim mixtim vivunt Catholici et Haeretici ; verum Catholici in maiori sunt numero. In omnibus procedimus (quantum iniuria temporum patitur), secundum normam et praescriptum S. Concilii Tridentini. Hoc tempore praeter aliquot alios sacerdotes quadraginta duos (laus Deo) habemus in nostra dioecesi sacerdotes ; in qua ante nostram ad eandem promotionem tredecim tantum fuerunt parochi. Nostra dioecesana et provincialia statuta nuper confirmata per Sedem Apostolicam adamussim a nostris sacerdotibus (auxiliante Omnipotente) observare facimus. Testes synodales habemus. Prae timore Protestantium convocare in unum Capitulariter omnes nostros sacerdotes (ut canones praescribunt) non audemus, sed cuiusque Decanatus sacerdotes singulis annis in locum solitarium capitulariter quasi convocamus eosque inibi iuxta Juris exigentiam visitamus : Haec siquidem nostra Dioecesis antiquitus in septem parvos fuit divisa Decanatus. Quisque Parochus suos docet parochianos christianam doctrinam singulis saltem diebus dominicis, idque in locis secretis et sylvestribus : ibi Missas celebrat sustentatus solummodo eleemosynis fidelium Catholicorum sine ullo subsidio proveniente ex ecclesiastico censu, sicut et nos ipsi sustentamur et alimur sola Catholicorum devotione, et parti-

* Printed in *Spicilegium Ossorien*, I. 214, from a Propaganda copy. A previous Report (1631 *circiter*) is to be found in *Arch. Hib.*, Vol. III., p. 359.

cipatione eleemosynarum nostrorum sacerdotum sine ullo proventu Ecclesiastico, sustinentes (laus Deo) pondus diei et aestus, et fugientes de domo in domum, et de monte in sylvam, sequentes vestigia Salvatoris nostri, Spiritu ipsius ducente, non habentes hic permanentem civitatem ubi reclinemus caput. Unde multum expedire videtur (si suae Sanctitati visum fuerit) ut in posterum, durante schismate in hoc afflicto regno, nullus ad statum Episcopalem promoveatur nisi ex fidedignis testibus repertus bonos et intimos habere amicos saeculares potentes eum sustentare, fovere, et alere; aliter sane, nisi miracula patrentur, status Episcopalis vilesceat, et contemnetur in his terris. Imminet enim iam omnibus huius desolati Regni Catholicis mortiferum tam spiritualium quam temporalium bonorum (nisi miserator et misericors Dominus nobis suis pauperculis cito succurrat) omnimodae supplantationis periculum. Canones siquidem (ut vocant) nonnullos nostrae Religionis (si id permittat Omnipotens) radicitus destructivos, Regia autoritate Primates huius Regni Protestantes hoc praesenti tempore ediderunt, quibus stricte cautum est, ut omnes huius Regni incolae, sub maximis poenis fateantur et acceptent serenissimum nostrum Regem tamquam supremum in spiritualibus et temporalibus Caput in omnibus suis Ditionibus. Cautum etiam et proclamatum est, ut omnes nostri cuiuscumque status iuvenes et scholares instruantur et educantur a ludimagistris protestantibus et ut omnes habitatores (quod avertat Deus) huius miserrimae Patriae templa Protestantium singulis Dominicis diebus adeant: et qui contrahunt matrimonium coram Catholico sacerdote unam ad minus marcam, et totidem qui infantes baptizandos nostris porrigunt parochis, solvere cogantur. Et ut nulli in posterum sepeliri possint in sepulchris maiorum iacentibus in Monasteriis, in quibus fere omnia sepulchra huius Nationis iacent, et nonnisi per pauca in parochialibus templis ob singularem devotionem populorum et procerum nostrae gentis semper in Religiosos. Hoc et plurima alia huius farinae portenta brevitatis causa prosequi omitto: unum autem aut alium canonem adiciam, quo sancitum est ut tenelli nostri omnes ad Protestantes pseudepiscopos confirmandi duantur, quod numquam hactenus factum novimus nec fieri mandabatur. Praeterea quod omnes agnoscant potestatem legitimam conferendi Ordines sacros, quibus ipsis visum fuerit, in dictis pseudepiscopis. In utroque nostri Catholici passuri sunt et patiuntur plurimum. Ex nostratibus nos multa millia omnis aetatis confirmavimus, et ad minimum ducentos ex regularibus et saecularibus ad sacros ordines promovimus.

Quod ad temporalia bona attinet sub funiculo distributionis hae

omnes terrae in praesenti iacent: inceperunt enim Regis ministri iam a medio anno totam hanc Conatiae provinciam metiri, quod adhuc (licet nullo tempore exceptis dominicis diebus cessent) non perfecerunt; verum quota pars, vel an aliqua, relinquatur incolis Catholicis prorsus adhuc ignoratur, sed certo certius est intentionem Regis esse (nisi Deus noster, in cuius manu est cor cuiusque regis, aliter disposuerit) totam nostrae gentis terram, nisi quae portio adhuc incerta Catholicis relinquatur, distribuere inter suos novos superseminatores Protestantes. Quae mala ut maturius praeveniantur et infirmi ac pusillanimes de facto privati et privandi suis antiquissimis possessionibus non labantur in extremam desperationem quam humillimis precibus possumus flexis genibus rogamus SSmum. nostrum Patrem ut pro nobis desolatissimis pauperibus motu pastoralis et sua paterna compassione litteris (si placet) suis privatis apud piissimam et Catholicam nostram Magnae Britanniae Reginam intercedat quatenus illa petere dignetur a nostro potentissimo Rege remedium hisce intolerabilibus malis adhibere, aut saltem aliquam mitigationem ex solita suos erga subditos clementia, ne tota gens semper Catholicae religionis tenacissima et hic et in futuro saeculo pereat. Ne mirentur obsecro nostri Eminentissimi Domini quod intermiscuerim haec indiscreta (fortasse) verba nostrae relationi, cum ad eam pertinere non videantur: extrema siquidem, quae omnem modum et legem excedit et nescit, necessitas nos coegit. Quare cum summa cordis submissione ad pedes SSmi. Domini ac Patris Nostri prostrati licentiam in hoc nostro hic (si quis sit) excessu petentes, ad nostrum propositum scopum redeamus.

Religiosi nulli ab initio schismatis commorabantur in hac nostra dioecesi usque ad nostram in eandem promotionem. Nunc autem ex Dei providentia (omnis honor Creatori nostro) et industria nostra duo Religiosorum Conventus ex sacris Ordinibus SS. Patrum nostrorum D. Dominici, ac Seraphici Patris Nostri Francisci, in speluncis et sylvis habitantium et in vinea Domini, quoties permittitur, strenue adlaborantium.

Sequitur hic completus numerus Prioratum et Conventuum necnon Religiosarum mulierum locorum in hac Dioecesi situatorum. Quinque sunt Prioratus Canonorum regularium Divi Augustini: nimirum Prioratus de Roscomain sive ut vocatur Teampull anoigh-neayne, Prioratus de Doirean, Prioratus de Cluntuasgearta, Prioratus de Killmore, et Prioratus de Innismhicorm. Prioratus Villae de Athluain Ordinis Scti. Benedicti. Prioratus de Teaghoinne Ordinis S. Iohannis Jerosolymitani. Monasterium an Isleibhe Ordinis Carmelitarum et parvum aliud Monasterium vulgo vocatum Keall-

raghsepna Palishe eiusdem Ordinis ut aliqui, et Tertii Ordinis B. P. N. Francisci, ut alii existimant. Abbatia celebris de Boill Ordinis Beati Bernardi. Abbatia Insulae SSmae. Trinitatis, Ordinis ut aiunt Praemonstratensis. Monasterium de Archarna quarumdam Religiosarum quarum Patronum ignoramus, excepto quod aliqui dicunt D. Bernardum, alii D. Augustinum esse.

Ordinis S. Dominici quinque sunt Prioratus scilicet : Prioratus de Roscomain, Prioratus de Toillsge, Prioratus de Cluinseanmhuile, Prioratus de Ballinduin, et Prioratus de Sligo. Unicus Conventus Ordinis Seraphici P. N. Francisci situatus est in Civitate Elphinensi, estque de observantia ; omnia tamen praedicta loca (laus Deo) hoc tempore possidentur a protestantibus, immo et a temporibus regis ferme Henrici octavi.

Iuramentum fidelitatis praestari et emitti solitum a nostrae functionis et qualitatis personis Sedi Apostolicae et Summo Pontifici a nobis antehic aliquoties emissum et praestitum, nunc idem, in Domino confidentes vovemus, et promittimus nos durante nostra vita firmiter observaturos. Sic nos Deus adiuvet et haec sancta Evangelia. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium hisce subscripsimus et sigillum nostrum parvum quo ad talia utimur apposuimus osculantes pedem SSmi. Patris Nostri Urbani Papae Octavi. Datum in Camera Nostra privata Tertio Januarii anno millesimo sexcentesimo trigessimo septimo stilo novo.

fr. Boetius Elphinis. Epus.

Die 28 Augusti 1638. Sacra, etc. iussit dari litteras pro visitatione Sac. liminum in forma, pro decimo tertio quadriennio, et quoad calamitates expositas agendum esse cum Ssmo. D. N. ut dignetur scribere Reginae Anglicanae pro opportuna provisione.

[*Endorsed.* ELPHINENSIS : RELATIO XIII QUADR. EXHIBITA A PROCRE. IN CURIA EXISTENTE 6 IUNII 1638.]

Illmo. et Rmo. Monse.

Io D. Gio de Bar sottaltarista di S. Pietro fo fede come D. Edmundus Duer ha visitato limina Apostolorum in da Basilica pro Mons. Vescovo de Eelfinen. questo di 5 giugno 1637.

Ego Io de Bar manu ppria.

Fidem facio ego Claudius Galluccius Cappellanus Basilicae S. Pauli extra Urbem qualiter D. Edmundus Duer visitavit pro nomine Illmi. D. D. Episcopi Elfinen. limina Apostolorum in dicta Basilica die quinta iunii 1637

D. Claudius Galluccius

Ex Regesto R Litter. Responsorialium Visit. SS. Liminum, Vol. VII. fol. 88 sqq.

Elfinen. in Hibernia Episcopo.

Emmi. Patres Sac. Concilii Tridentini Decretis Interpretandis et Visitationis muneri obeuntium postulatis audiendis praepositi, admiserunt Rev. Edmundum Duyre Procrem specialem ab A. T. deputatum ad visitanda limina Apostolorum pro Xiii^o quadriennio iuxta sa: me: Sixti V constitutionis praescriptum. Relationem status istius Ecclesiae A. T. nomine exhibitam iidem Emmi. Patres libentissimis animis audierunt et ab eis satis commendata fuit pietas et vigilantia, quam A. T. adhibet in ovibus sibi commissis custodiendis, et ut pro viribus provideatur calamitati expositae mandarunt agi cum SSmo. ut cum Regina Anglicana officia interponere dignetur, quod pro solita charitate praecise demandavit fieri; idque Amplitudini Tuae his litteris testatum esse volumus, Deum rogantes ut illam incolumem servet gratiaeque suae donis in dies magis augeat. Romae die 28 augusti, 1638.

TUAM,* 1637.

QUADRIENNALIS RELATIO STATUS DIOECESIS TUAMENSIS PORRIGENDA EMIS. AC RMIS. DD. S. R. E. CARDINALIBUS SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE, PER EXIMIUM D. D. EDMUNDUM DURAEM SACRAE THEOLOGIAE DOCTOREM, ET NOSTRUM PROCURATOREM IN URBE CONSISTENTEM:—

Civitas Tuamensis quondam fuit celebris, in qua sita est Ecclesia Cathedralis, sancto Jarlatho primo Tuamensi Episcopo dedicata.

* Malachy Queely, appointed, June 28, 1630; + 1645.

Clerus huius Ecclesiae sunt Decanus, Archidiaconus, Praepositus, duodecim Canonici, et quinque Vicarii Chorales. In hac Civitate et tota nostra Dioecesi Catholici et Protestantes promiscui vivunt, sed Catholici sunt vigesies in numero maiori. In hac nostra Dioecesi animarum curae inserviunt quinquaginta septem, in qua ante nostram promotionem pastores erant triginta quatuor tantum. Temporibus a iure praescriptis et extra tempora Indulto Apostolico promovimus ad sacerdotium Ordinis Praedicatorum sex, Ordinis S. Augustini Eremitarum duodecim, Ordinis Minorum quatuordecim, & aliarum dioecesium tredecim. Convocatis nostrae Provinciae Praelatis post aliquot annos ab assumptione nostra in hanc Sedem, ad Provinciale Concilium in nostra Provincia a tempore suppressionis fidei Catholicae ob temporum iniuriam et Metropolitano in patria residentium carentiam non celebratum, statuta fecimus dioecesana, quae communi consensu recepta fuerunt per nostros Comprovinciales in suis respective dioecesibus; nec non Provincialia nuper per Sedem Apostolicam confirmata, quorum tenorem (Deo favente) fecimus et totis viribus faciemus in posterum observari. In omnibus, quantum tempora patiuntur iuxta praeepta sacri Concilii Tridentini, procedimus.

Dioecesim nostram divisimus in octo Decanatus, et in quolibet Decanatu instituimus virum doctum gravem et vitae irreprehensibilis pro Vicario Foraneo, qui semel in mense quolibet convocat Pastores istius Decanatus ad locum solitarium per ipsum assignatum, ubi tractant de casibus conscientiae & ubi dictus Vicarius Foraneus strictam exigit rationem a reliquis sui Decanatus Sacerdotibus de sacramentorum administratione, modo catechizandi & aliis rebus ad profectum spiritualem tendentibus, iuxta nostram directionem. Cuilibet Foraneo pro adsistente dedimus Procuratorem fiscalem. In Concilio Nostro Provinciali pro qualibet dioecesi nominavimus Poenitentiarium et Subpoenitentiarium, necnon Examinatores secundum Concilii Tridentini praescriptum, quorum suffragiis tantum auditis Sacerdotes admittimus ad curam animarum, et studiosos ad ordines sacros. Bis aut semel ad minus in anno quolibet Vicarius Foraneus cum reliquis sui Decanatus sacerdotibus conveniunt in aliquem locum a saecularium consortio remotum ubi per aliquot dies instituunt meditationes, sua confitentur peccata, in pane et aqua ieiunant, sacrificia offerunt Deo, et preces fundunt pro Suae Sanctitatis incolumitate, Ecclesiae Dei profectu, Principum concordia et huius afflicti Regni prosperitate. Percurrimus in propria persona semel singulis annis ad minus nostram Dioecesim ut Canones praescribunt et convocantes Pastores cuiuslibet Decanatus in unum locum eos visitamus non audentes prae timore adversariorum.

Synodum diocesanam iuxta Juris requisitionem quotannis celebrare. Quisque Parochus nostrae dioecesis singulis diebus Dominicis et festivis suos docet Parochianos Doctrinam christianam, et nos ipsi ac alii verbi Dei Seminarios per nos approbati et assignati frequentes apud populos solemus habere Conciones.

Nos et inferiores nostri Pastores Catholicorum devotione et eleemosynis sine aliquo ecclesiastico censu sustentamur. In dioecesi hac Tuamensi sunt nonaginta Parochiales ecclesiae, oratoria sive capellae diversis Sanctis dedicatae centum octoginta sex, et diversorum Ordinum viginti et octo Monasteria, quorum quatuor sunt Ordinis Praedicatorum, tria Ordinis Minorum, quinque Tertii Ordinis sancti Francisci, Canonicorum Regularium sancti Augustini quinque, Eremitarum sancti Augustini sex, Ordinis Carmelitarum unum, Cisterciensium Ordinis duo, Monialium de Killcreventa Ordinis incogniti unum, sanctae Trinitatis unum, et sancti Joannis Baptistae unum; et haec omnia sunt destructa aut ruinam minantur. Protestans Archiepiscopi locum tenens a Serenissimo nostro Rege omnes fructus et redditus dioecesis impendit in usum uxoris, proles et familiae suae.

In conventibus nostris post exhortationem ad virtutem examinantur Parochi de fructu vineae Christi et qui reperiuntur negligentes, aut odio a Protestantibus habentur mutantur ex uno loco in alium; qui vero maiori cum fructu laborasse inveniuntur augetur eorum commodum ut virtus remunerata crescat, et hinc pietatis et religionis in dies cernitur incrementum.

Ex nostratibus in nostra et alienis dioecesibus multa millia omnis aetatis confirmavimus et ad hoc praestandum cogebamur per mare et terras ingentia subire pericula. Ad gremium sanctae Matris Ecclesiae plusquam ducentas oves recepimus aberrantes, per Dei gratiam.

In hac dioecesi Tuamensi est Ecclesia sancto Nicolao dicata, quae quondam fuit in Collegiatam erecta per unum ex nostris Praedecessoribus et huius ecclesiae modernus Praepositus seu Guardianus nulla habita ratione decreti pontificii in contrarium aut reverentiae et obedientiae nobis suo Ordinario debitae, variis indecentibus viis et modis per dictum Dominum Edmundum Duiraeum nostrum in Sacra Curia Romana agentem proponendis et apperendis coram Vestra Sanctitate et sacra Congregatione, conatur Clerum et populum dictae Ecclesiae Collegiatae Sancti Nicolai oppidi Galviensis et aliarum Parochiarum controversarum, nullo innixus solido fundamento, sed suffultus tantum auxilio et favore saecularium, retrahere a iurisdictione nostra et obedientia nobis debita, cui malo cum omni animi

submission rogamus Vestram Sanctitatem et Sacram Congregationem, ut dignemini praesens adhibere remedium, alioquin multa sequentur scandala et incommoda quae redundabunt verosimiliter in irrecurabile praeiudicium personae meae et iuris mei ordinarii; et supplicamus ut audacia, inobedientia, et contemptus tampestive supprimatur praedicti Guardiani, qui nos nostramque authoritatem verbo et scripto contemnit quantum in ipso est et contumeliose sine aliqua ex nostra parte provocatione tractavit et in dies tractat; alioquin actum erit de nostro ecclesiastico Regimine.

Obnixe etiam efflagitamus ut habeatur ratio relationis quatriennis in sacra Congregatione hoc anno currente porrectae nomine Rmi. D. Episcopi Elphinensis, nostri comprovincialis, in qua multa conducentia ad bonum regimen nostrae Provinciae et aliquot ex afflictionibus Cleri et populi huius afflicti Regni ad vivum exprimuntur. Fidelitatis iuramentum praestari et emitti solitum a nostrae qualitatis personis Sedi Apostolici et Summo Pontifici, et a nobis antehac emissum, nunc iterum emittimus, voventes et promittentes nos, durante hac vita nostra, illud firmiter observaturos. In quorum fidem his subscripsimus et sigillum nostrum adposuimus suae Sanctitatis pedes osculantes.

Datum in nostra Camera privata in Hibernia die ultima septembris, Anno salutiferi partus millesimo sexcentesimo trigesimo septimo.

[L. S.]

Malachias Archiepus. Tuamen.

Fidem facio ego infraptus Dnum. Edmundum Duier visitasse Basilicam S. Pauli extra Urbem hac die vigesima tertia aprilis 1638 pro Rmo. Dno. Archiepiscopo Tuamensi. Ego Paulus Baldeschus subsacrista fidem facio.

Io D. Gio : de Bar sottaltarista di S. Pietro fo fede come Edmondo Duier di Berna (sic) ha visitato limina Apostolorum in dicta Basilica per mons. Illmo. Arcivescovo di Tuamen, in dicta basilica questo di 23 aprilis 1638

Ego Io : de Bar fidem facio.

Die 19 iunii 1638, Sacra &c. censuit dandas esse litteras testimoniales visitationis liminum Episcopo Tuamen. qui per Procuratorem in Curia existentem ex gratia Smi. admissum S. Limina visitavit pro

XIII quadriennio. Omnia in forma; quo vero ad Praepositum Collegiatae S. Nicolai Episcopum tueri debere suam iurisdictionem, et procurandum a Secretario S. Congregationis de Propaganda Fide decretum Pontificium quod supponitur hac in re factum.

[*Endorsed.* TUAMEN IN HIBERNIA. RELATIO XIII QUADR.
EXHIBITA A PROCRE. IN CURIA ADMISSE IUXTA
FORMAM DECRETI S. D. N. IN CONGNE DE PRO-
PAGANDA FIDE.]

*Ex Regesto Letter. Responsorialium Visit. S.S. Liminum. Vol VII.
folio 86.*

Thuamen. Episcopo

Reverendus admodum Edmundus Duireus procurator quamvis non ablegatus ex benignitate tamen SSmi. D. N. ad beatorum Apostolorum limina visitanda admissus fuit, et Ampl. Tuae nomine eadem sacratissima limina pie pro XIII quadriennio visitavit, deque istius ecclesiae statu ea retulit ex quibus satis Eminentissimis Patribus innotuit illius vigilantia Pastoralis. Ideoque posthabitis exhortationibus quoad propositas differentias cum praeposito Collegiatae Sancti Nicolai responderunt Amplitudinem Tuam tueri debere iurisdictionem suae ecclesiae, procurando decretum pontificium quod supponitur super illis factum. Interim Divinam clementiam precantur ut A. T. diu incolumem servare et suae gratiae donis in dies magis cumulare dignetur. Romae die 28 Augusti 1638.

KILDARE,* 1637.

RELATIO STATUS ECCLESIAE KILDARENSIS IN HIBERNIA ANNO
DOMINI 1637.

Cum quartus nunc instet annus in quo secundum formam iuramenti fidelitatis in consecratione mea me adstrinxi, teneam Apostolica limina visitare et Smo. Dno. Nro. aut Eminentissimis et Rmis. DD. Cardinalibus a sua sanctitate ad id deputatis rationem reddere de

* Roche Mac Geoghegan, appointed, Feb. 12, 1629; died, 1641.

toto meo pastorali officio et de rebus omnibus ad statum ecclesiae Kildarensis et cleri populique disciplinam animarumque salutem pertinentibus, nec obligationi huic in propria persona mea satisfacere valeam tum propter eminentis vitae periculum, aut certae incarcerationis, quod inevitabiliter incurrerem, si ab adversariis fidei eundo aut redeundo comprehenderer, tum etiam propter expensas non modicas ad tam longum iter necessarias, quas Episcopi Hiberni, ecclesiasticis redditibus privati, habere non possunt; ideo pro reddenda hac relatione prout convenit assignamus et deputamus R. d. m. Antonium Jacobi sacerdotem et Procuratorem nostrum in Curia, quem pro declarando totius dioecesis nostrae statu specialem nunc in nostrum nuncium nominamus et instituimus.

De hoc autem ecclesiae Kildarensis statu integram declarationem misimus Romae anno domini 1633 et nunc nihil ad illam addendum occurrit, nisi quod ad numerum Capellarum addendas invenimus alias quinque, nam numerus illarum integer est 61; monasteriis autem virorum addenda sunt tria, quia sunt undecim numero, cum tamen in priori relatione non numerentur nisi octo tantum, et unum sanctimonialium; ad hospitalia infirmorum coniungendum est unum, ita ut illorum numerus sit quaternarius, et ad coemeteria consecrata ab ecclesiis disiuncta, connumerandum est aliud, quia sunt undecim numero. Haec autem omissa sunt in priore relatione propterea quod capellae et aedes ecclesiasticae in hoc Regno maiori ex parte a Protestantibus diruta sunt vel in saecularium hominum habitationes transmutatae, et ita in prioribus visitationibus decerni non poterant omnia aedificia ecclesiastica, donec per longam experientiam et inquisitionem reperta fuerunt. Sacerdotum autem Catholicorum huius dioecesis idem est numerus qui in priori exisistit, nam quamvis duo e priori numero ex hac vita migraverint, aliique duo religionem ingressi sint, et alius propter suas culpas a regimine animarum sit absolutus, eorum tamen loca suppleverunt alii supervenientes, ita ut integer eorum numerus sit modo 28 sicut prius. De numero vero communicantium et non communicantium certum dare computum non audemus, sicut nec in priori informatione, propter rationem in eadem assignatam, nam ex hac enumeratione plebis (si exacte fieret, prout in ecclesiis ordinatis desideratur), iudices Protestantes Regii sinistre scripturam nostram interpretantes, arbitrarentur forsitan nos aliquid moliri adversus publicam pacem et regimen Regium et tamquam talis culpa reos nos existimarent; ideoque computum communicantium et non communicantium pro nunc omittendum duximus, donec tempus illum fieri permittat.

A visitatione autem huius dioecesis in propria persona, et ab

executione officii nostri in publico, prout solebamus, impedimur his duobus annis occasione cuiusdam sacerdotis Bartholomaei Moor nominati, qui cum curam animarum in parochia Nassensi huius dioecesis exercuisset et in graves culpas enormiter incidisset, nec emendationis spem de se praestitisset, absolutus fuit a suo officio, et ille, vindicandi animo, Proregem Regni Protestantis adivit, eique manifestavit nos in hoc Regno exercere munia episcopalia a Romano Pontifice derivata, contra statuta legesque Parlamentales tempore Reginae Elisabethae hic institutas et firmatas, quibus, sub poena amissionis omnium bonorum pro prima vice, et perpetuae incarcerationis pro secunda, et sub poena criminis lesae maiestatis pro tertia vice, prohibetur ne aliquis in hoc Regno Hyberniae aliquam potestatem, iurisdictionem aut officium a Romano Pontifice quovis modo derivatum recipiat, exerceat aut quavis ratione utatur. Hanc Bartholomaei Moor querelam Prorex libenter acceptavit eamque secundum legum exigentiam prosequendam remisit Curiae Regiae, ex qua plurimi processus et mandata emanarunt contra me his praeteritis annis; et quoniam adhuc iudices praefatae Curiae me invenire non poterant, modo minantur me tamquam rebellem et legibus Regni contrarium denunciare, et sic, ubicumque me latitantem comprehendant, et poenis praedicti statuti puniant; propter quod deinceps impediatur ab executione mei officii nisi dicti processus legum contra me revocentur et impediuntur. Nec mihi soli hoc imminet periculum, sed omnibus etiam Episcopis, sacerdotibus et religiosis huius Regni qui aliquam facultatem aut iurisdictionem a Romano Pontifice provenientes habent, accipiunt, aut exercent: imo etiam et contra omnes Catholicos saeculares totius Regni statutum illud et poenae omnes in eo taxatae exequi poterunt quotiescumque placuerit iudicibus Regni eos rigore examinare de professione suae fidei et de receptione sacramentorum, quae suscipere tenentur quotannis, scilicet, Eucharistiae et poenitentiae, quorum administratio sine Romani Pontificis potestate et iurisdictione nec dari nec recipi nec quovis modo exequi potest. Et ita si lex illa Parlamentalis aut statutum contra me mandetur nunc executioni, erit in praeiudicium omnium Catholicorum huius Regni, tam Ecclesiasticorum quam laicorum, quia eodem modo contra quemlibet eorum exequi poterit sicut contra me. Ego igitur tam pro me quam illis omnibus conveniens aliquod remedium adhiberi desidero contra executionem praefati statuti, maxime tendentis contra professionem fidei Catholicae.

Et haec sunt quae de statu huius nostrae dioecesis nunc referenda occurrunt. In quorum fidem his manu propria subscripsimus et

sigillum nostrum apponi curavimus. Datum in latibulo nostro in Hybernia die 15 novembris anno domini 1637.

[L. S.]

fr. Rochus

Eppus Kildariensis.

Illmo. e Rmo. Monsre.

Io D. Gio : de Bar sott'altarista di S. Pietro fo fede come Il Sig. Abbe. Commrio. Antonio Jacomo d'Ibernia ha visitato limina Aplor. in dicta Basilica questo di, tre di maggio 1638 in nome di Mons Vescovo di Kildaren. in Hibernia. Ego Io : de Bar fidem facio

Die 3 maii 1638.

Pro Illmo. Dno. Fr. Roccho Epo Kildariensi Antonius Jacobi sacerdos Hibernus visitavit Basilicam S. Pauli necnon sacra Apostolorum limina die supradicta. In quorum fidem Ego D. Augustinus Romanus Monachus Cassinensis et eiusdem Basilicae Sacrista hanc scripsi propria manu.

[*Endorsed.* KILMORIEN (sic) IN HIBERNIA RELATIO
XIII QUADRIENNII EXHIBITA A PRORE IN CURIA
EXISTENTI DIE 4 MAII 1638. 18 IULII 1638 EX-
PEDITA.]

DOWN AND CONNOR,* 1639.

Emme ac Rme Domine.

Quadriennio abhinc meae qualiscumque in Dunen. et Conorensis Ecclesiarum mihi, licet indigno, commissarum regimine, retroactae villicationis ratiocinium ad Urbem et quidem magna cum difficultate per P. fratrem Antonium Dunganum Ordinis Divi Francisci de observantia presbyterum, meum ad id negotii procuratorem, destinavi, quia ipse personaliter comparere nequibam. Idem ego nunc quoque agnosco et fateor me ex debita S. R. E. obedientia in qua vivo et (per Dei gratiam moriar), et ex Sacrosancti Concilii Tridentini de.

* Bonaventure Magennis, appointed, April 22, 1630 ; died, 1640.

cretis quibus ego in omnibus morem pro viribus gerem, debere et teneri ad simile ratiocinium exhibendum. Verumtamen eo paupertatis (proh dolor) hic ventum est, ut nec me Emmi Viri conspectui praesentare queam, nec quemquam de clero meo ad Urbem mandare possim, mediis ad sufficiens pro tanto itinere viaticum necessariis deficientibus; praeterquamquod, etsi media ipsa suppeterent, navigatio per mare nostrum non est satis tuta, propter rebelles (ut fertur) Scotorum contra Regem Angliae factiones. Verum enimvero, quod solum possum exiguum et leve (sat scio) pro provinciae mihi commissae dignitate, tantum tamen et tale, quantum et quale meae vires pro hac temporum et locorum opportunitate ferunt, ratiocinium descripsi et ad Urbem transmitto per eximium Dnum. Edmundum Duyer, S. Theologiae Doctorem, in Urbe iam residentem, vestro et reliquorum Emorum S. Concilii Tridentini Patrum conspectibus meo nomine porrigendum et exhibendum; in quo, si quod laudabile factum in Vestro Emmo conspectu reperietur, omnium donorum bonorum datori Deo optimo Maximo refero et attribuo

Ego Emmae ac Revmae D. Vrae.
humillimus servus

Fr Bonaventura
Epus Dunen et Coneren.

Datum ex loco meae mansionis
in Hybernia hac 17 aprilis 1639

Emmo Dno. Praefecto C. S. Con: Trid.

Emmi. ac Rmi. Domini

Quadriennii elapsi iam ab eo tempore quo ultimo meae in Epali. munere villicationis rationem ad Urbem transmisi, subsequens hoc breve de meo regimine cura et functione in Dioecesis Dunen. et Conerensi mihi, licet indigno commissis, ratiocinium descripsi; et quia ipse ego, propter temporum et locorum incommoda, in eo, in propria persona, exhibendo, debitam S.R.E. obedientiam exhibere nequaquam possum; transmitto VV. Emmis. ac Rmis. DD. humiliter meo nomine porrigendum per eximium Dnum. Edmundum Duyer, S. Theologiae Doctorem, nunc in alma Urbe residentem, meum ad id negotii procuratorem legitime constitutum; quo perlecto, si quae (ut fortassis multa) in me censura, correctione, reprehensione, aut

monitione digna reperientur, Vrae et S.R.E. monitioni, reprehensioni, correctioni et censurae submissionem et obedientiam, sine ulla obloquutione et tergiversatione, promitto, spondeo et voveo.

I. Bis quotannis Dioecesanam Synodum convocavi, ibidemque quae mihi videbantur ad bonum Ecclesiae et subditorum meorum aeternam salutem conducere quaedam condidi statuta, promulgari feci et observari mandavi, et pro viribus curavi. De cleri mei doctrina et moribus diligens examen institui et perfecti, assistentibus mihi synodalibus examinadoribus et speculatoribus; et quos innotuisse contigit excessibus cum salutarem medelam tum iustam correctionem adhibere conatus sum, non sine magna cleri reformatione.

II. Quinque per meas dioeceses, quos e meo clero magis idoneos reperi, elegi et constitui Vicarios foraneos, ut meorum subditorum conversationi, in suo quisque respectivo districtu, invigilarent et quae relatu digna contingerent ad me singulis trimestribus deferrent; magnum (Deo laus) ad fraenandos (ut experientia didici) subditos a vitiis auxilium.

III. Sacrosancti Con: Trid: decretum de praemittendis matrimonio trinis admonitionibus seu denunciationibus, quod, aut hic ab initio non fuit receptum aut, certe receptum, Pastorum incuria paene exsolevit, efeci ut vim et robur iam obtineat, ita ut nullus laicus de meis dioecesibus nunc audeat matrimonium contrahere, aut parochus contrahendo assistere non praemissa trina, eo modo quo Concilium statuit, denunciatione.

IV. Sustuli et penitus (Spiritu Scto. cooperante), exstinxi qui hic (durante schismate) inveteravit abusum participandi cum schismaticis in sacramentis matrimonii et Baptismatis; antea siquidem religioni [adversari] non ducebatur protestantem et catholicum inire matrimonium, etiam praesente parochus, et benedictionem accipere; et catholicus frequenter suscipiebat protestantis prolem, baptizante ministro protestante, et vice versa protestans admittebatur susceptor in Baptismate prolis Catholicorum, ministrante etiam catholico sacerdote.

V. Variis temporibus lapsos a nostra fide plusquam quadraginta ad veram fidem reduxi.

VI. Vicies mille hominibus et amplius sacramentum Confirmationis administravi.

VII. Cuiuslibet parochi paramenta et altaris utensilia curavi per meos in suo cuiusque respectivo districtu foraneos inspicere quolibet trimestri, et inidonea aut indecora ad sacrum ministerium reperta quae sunt amoveri, et hac in re deficientem ad maturam reparationem non absque merita mulcta compelli.

Atque haec sunt quae inter mei pastoralis officii muneris suscepto hoc quadriennio labores praecipua (non quod ea insigni aliqua nota digna sint, sed quia hic, si non omnino insolita, minus tamen per aliquot annos usitata sunt) notavi, et mei manuali subscriptione et sigillo munita transmitti VV. Emmis. ac Rmis. DD. quas Deus Opt : Max : diu et feliciter ad sui nominis gloriam et Ecclesiae. utilitatem et splendorem conservet. Datum ex loco meae mansionis in Hybernia hac 17 Aprilis 1639.

Eminentissimorum ac RRorum. DD. VV.

Humillimus servus

[L. S.]

Fr. Bonaventura

Epus Dunen, et Coneren.

Io D. Gio : de Bar sotto Altarista di S. Pietro fo fede come il Sig. Edmondo Duier ha visitato limina Apostolorum in dicta Basilica in nome di Mons Illmo. Vescovo di Dunnense in Hibernia in dicta Basilica questo dì 9 novembre 1639. Ego Io de Bar, manu pria.

Rdus D. Edmundus Duier pro Illmo et Rmo D. D. Epo Dunnen. et Coneren. in Hibernia visitavit Basilicam Divi Pauli necnon sacra Apostolorum Limina die 9 novembris. Fidem facit D. Augustinus Mcus. et Sacrista eiusdem Basilicae. D. Augustinus m. pria.

[*Endorsed.* DUNEN : VIS^o SS^o LIMINUM, PRO 15 QUADRIENNIO. Die 13 ianuarii 1646. S. Cong^o censuit dandas esse litteras visitni. sacrorum liminum pro XV quatriennio quae contineant etiam responsiones per eandem S. Congreg. datas ad exposita in praesenti relatione prout latius in Registro Litterarum continetur.*]

WATERFORD,† 1639.

Reverendo admodum Dno. D. Edmundo Duyreo sacrae Theologiae Doctori, Prothonotario Apostolico, et Imolacensis dioecesis archi-

* Missing.

† Patrick Comerford, appointed Feb. 12, 1629 ; died 1652.

diacono, salutem :—Per hoc praesens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter et sit notum, quod nos Fr. Patricius, Dei et Apostolicae Sedis gratia episcopus Waterfordiensis & Lismorensis, fecimus, constituimus et nominavimus, sicut modo facimus, constituimus et nominamus Te praefatum D. D. Edmundum Duyreum nostrum verum, certum et legitimum procuratorem ad visitandum limina Apostolorum omni meliori forma et modo, quibus visitare tenemur ceremoniasque quascumque in praemissis fieri solitas faciendum : cum ob locorum distantiam, itineris periculum, temporum iniquitatem, et sumptus defectum id muneris personaliter praestare non valeamus. In quorum fidem et robur his subscripsimus & sigillum nostrum apponi fecimus in loco nostri refugii intra fines nostrarum dioecesium hac die 15 novembris 1639.

Fr. Patricius Waterfordiensis &
Lismorensis Episcopus.

Ad sacram Concilii Tridentini Congregationem :

Cum ob ingentem locorum intercapedinem, necessarii sumptus defectum, innumera eaque imminetia terra marique pericula, mihi impossibile sit limina Apostolorum personaliter visitare, id per Procuratorem praestare satis esse provide decrevit Summus Pontifex. Ut ergo missa faciam labores et molestias quae annuatim suffero in decursu meae visitationis, dum per Protestantium colonias, easque nonnullas, furtim incedere cogor ad tuguria parochorum ; difficultates et contradictiones quae quotannis sese offerunt in cogenda synodo dioecesana, dum aliquam humilem casam vix obtinere valeo in remoto aliquo et abdito Dioecesis angulo ; pericula et aerumnas quae devorare necesse est, dum Confirmationis sacramentum ministrare perambulo, dissidentium lites compono, delinquentibus poenitentiam statuo, pravos abusos averruncare studeo, praesertim in deplorabili hoc rerum statu, in quo incorrigibiles et inobedientes, praeruptis sacrorum Canonum repagulis, ad partes Protestantium confugere, aut Catholicos Episcopos ad iudicium saeculare Protestantium trahere non vereantur.

De ecclesiis harum unitarum dioecesium id tantum dicere habeo quod omnes et singulae sunt in potestate cleri heterodoxi, sicut et bona et possessiones earumdem ; mihi autem et parochis meis reli-

quum est vivere ex parentum, propinquorum et amicorum benevolentia. Et cum multi Catholici laici vel dono Regis vel pretio soluto possideant multa bona ecclesiastica, dignum foret ut mandatis Summi Pontificis prohiberentur ea detinere nisi certam aliquam partem eorumdem bonorum clam erogarent in Episcopos et parochos qui curam animarum gerant; alias censerentur malae fidei possessores, non obstante quacumque praetensa dispensatione aut Parlamenti statuto.

In his unitis Dioecesibus numerus Ecclesiarum omnis generis est 170 paulo plus minus. Numerus vero Monasteriorum tam virorum quam mulierum quindecim. Hospitalium denique 12. Monasteria omnia (quod non sine dolore reminiscor) sunt diruta, sicut et ecclesiae, ut plurimum: Protestantium enim Clerus est parum sollicitus de fabrica ecclesiarum, nimis autem anxius in colligendis decimis, obventionibus et mulctis pro Sacramentis clam administratis per nostros Parochos.

Totus Clerus Catholicus in his unitis dioecesibus est numero 104 ex quibus sunt saeculares 59, Regulares vero 45; ex saecularibus, 45 administrant parochias et curam animarum laudabiliter sane et cum magno animarum lucro; alii vero 14 agunt Capellanos in privatis domibus Catholicorum. Regulares autem strenuam operam impendunt in hac vinnea excolenda. Confluunt in dies plures ecclesiastici ex ultramarinis regionibus, sed in turbato hoc rerum statu Hybernia tot gravaminibus et calamitatibus oppressa et innumeris Protestantium coloniis oncrata impar est ferendo tot Ecclesiasticos; et verendum est, quod, nisi Summus Pontifex quantocius modum statuatur huic numerositati, Protestantium potestas durius aget cum nobis omnibus.

Utraque dioecesis distincta est in quatuor Decanatus, et in unoquoque singulis bimestribus fiunt Conferentiae casuum conscientiae, non sine magno Parochorum commodo. Conciones sunt frequentes satis in Civitate et praecipuis oppidis, doctrina etiam christiana. Ruri autem, licet non adeo frequentes conciones, frequentior tamen doctrina christiana; et hinc est quod rudiores in dies magis et magis proficiunt in ea. Scholas publicas nullas habemus nisi quas tenent Protestantes; lege enim Regni sic est statutum.

Nullus permittitur matrimonium inire, sine expressa licentia. Pseudò-episcopi in scriptis, pro qua singuli Catholici pendunt triginta iulios, alii plus alii minus praeter stipendium Pseudoministri.

Pro clandestinis baptismo et purificatione, quae fiunt a nostris Parochis, Catholici parentes prolis baptizatae coguntur solvere Pseudoministro sex iulios cum dimidio.

Pro Paschali communione clandestina singuli Catholici coguntur solvere Pseudoministro dimidium iulii.

Nullus Catholicorum sepeliri permittitur nisi prius solvantur Clero protestantico septem iulii.

Si contingat aliquem Catholicum a Pseudoepiscopo excommunicari (quod saepissime fit) imponitur ei magna poena pecuniaria et cogitur ad absolutionem recipiendam flexis genibus a pseudoepiscopo.

Non sine maximis expensis coguntur Catholici ecclesias Parochiales ut plurimum dirutas, et quas soli Protestantes frequentant restaurare, libros protestanticos Communium Precum et cyphos communionis calvinisticae et superpelliceum et pulpitem et alia utensilia ad ritum calvinisticum emere et tradere pseudoministris.

Magistratus Catholici coguntur Civem Catholicum excommunicatum a pseudoepiscopo in carcerem intrudere vi mandati Regii de excommunicato capiendo.

Pseudoepiscopus multis minis deterret parochos nostros ne assistant matrimoniis Catholicorum, nisi prius ipsis constet de eius licentia in scriptis habita.

Ex singulis domibus penduntur in sustentatione pseudoministri illius Parochiae nunc sesqui iulii, nunc amplius.

Innumerae sunt praetensae causae propter quas saepius citantur et trahuntur nimis afflicti catholici ad curiam pseudoepiscopi, in qua eorum marsupia evacuantur et exsuguntur; si poenitentiam quampiam statuatur, eam statim commutat in poenam pecuniariam, nunc 5 nunc 10 nunc 20 nunc 40 et amplius Ducatorum, quos in privatum suum usum convertit.

De persecutionibus quae saepius contra catholicos excitantur longum esset recensere singula; nunc expilantur, nunc enim augere rem familiarem permittuntur; nunc deglubuntur et excoriantur; nunc iterum vires resumere tolerantur ut tandem expilentur. Sed, laus Deo, Hyberni fuerunt semper et dum modo sunt fidei Catholicae tenacissimi, vicinis nationibus fide praepollentes, et in sincera erga Romanam et Apostolicam Sedem obedientia adeo constantes ut nullis gravaminibus, nullis pressuris, nullis denique cruciatibus ab ea vel latum unguem dimoveri umquam potuerint; et hinc est quod vicinorum Regnorum heretici scurriliter loquentes soleant per modum sarcasmi dicere "Hibernos esse Papistas a natura ingentos"

Protenduntur haec unitae dioeceses in longitudine ad triginta milliarum Hibernica, quae paria sunt viginti leucis Italicis; in latitudine vero nunc sese contrahunt ad pauca milliarum, nunc sese porrigunt ad viginti milliarum.

Incolae utrarumque Dioecesium sunt et Hiberni et Angli permixtim: Hiberni ferme omnes sunt Catholici: vix enim viginti vel triginta in utraque dioecesi frequentant ecclesias et ritus protestantium; Angli autem, ut plurimum, sunt Protestantes, exceptis viginti vel eo circiter. Clerus Protestanticus est numerosus et in dies augetur prout augentur reditus; vix tamen est unus vel alter Hibernus in utraque dioecesi qui ministrum agat Protestanticum. In utraque dioecesi sunt duo Comites Protestantes, tres Barones protestantes, tres vel quatuor equites aurati protestantes: praesidarii milites et duces et castellani sunt protestantes. Omnes ministri Regii, qui per ambas dioeceses praesunt Basilicis mercium et colligendis tributis vectigalibus et gabellis regis sunt protestantes.

Visitaturus limina Apostolorum per procuratorem meum haec habui dicere ex quibus colligi potest status nostrarum dioecesium Waterfordiensis et Lismorensis, in quibus administrandis non tam honos quam onus, non tam opes quam opus mihi accrescit; interim faxit Deus ut curae mihi commissae pro debito satisfaciam, et illustrissimas et Reverendissimas Dominationes Vestras exoratas enixius deprecor, quatenus dignentur se mihi favorabiles praestare apud Sanctissimum Dominum Nostrum dum aliqualem gratiam in meam et meorum consolationem, et levamen meae Curae per Procuratorem supplicavero. Illustrissimas et Reverendissimas Dominationes Vestras orthodoxae suae Ecclesiae diu servari incolumes supplicibus votis postulat

Fr. Patricius Waterfordiensis
et Lismorensis Episcopus.

Datum in loco nostri refugii
intra fines nostrarum dioecesium
hac die 14 novembris 1639

Io D. Gio. de Bar sott' Altarista di S. Pietro fo fede come Il Sig. Edmondo Duier ha visitato limina Apostolorum in dicta Basilica per Monsre. Illmo. Vescovo di Vaterfordia e Lismoren in Hibernia questo di primo di febraro 1640. Ego Io. de Bar manu propria.

Fidem facio ego Claudius Galluccius Cappellanus Basilicae S. Pauli extra Urbem qualiter Illmus. et Revmus. D.D. Edmundus Duyer visitavit limina Apostolorum in supradicta Basilica S. Pauli

nomine Illmi. et Revmi. D. Episcopi Waterforden et Lismoren in Ibernia ; hodie 31 ianuarii 1640.

Claudius Galluccius manu ppria.

[*Endorsed.* LISMORENSIS ET WATERFORDENSIS. VIS^o SS. LIMINUM PRO 14 TRIENNIO. *Die 16 ianuarii 1644. Sacra Cong^o mandavit dari litteras Visitnis SS. Liminum in forma Epo. Lismorensi sacra limina per Procuratorem ablegatum visitanti pro 13 quadriennio, quae contineant etiam responsiones sacrae Congregationis ad proposita in relatione, ut latius in registro Litterarum * continetur.*]

DUBLIN, † 1641.

Emtissime Domine,

Pro nostra erga Sedem Apostolicam et Eminentissimam Dominationem Vestram observantia, latorem harum, R. D. Mauritium Vardaeum e gremio nostrae dioecesis sacerdotem, eo ad Vos mittimus, ut de more limina Apostolorum nostro nomine visitet, ac Ecclesiae nostrae status facilius vobis innotescat. Cuius quidem Ecclesiae facies eadem plane est quae superioribus annis ; nisi quod eam deturpare conentur, qui eidem illustrandae auxilio potius esse debebant. Illi sunt monachi Cistercienses nescio quid iuris in parochias nostras praetendentes, quod antiquitus ut aiunt ante exortum schisma ad dicti Ordinis Abbatias earum collatio spectaverit ; nihil interim authenticum eam in rem in medium proferentes. Unde fit ut parochias a nobis promiscue constitutis haud vulgariter molesti sint, gregi Catholico scandalosi, et Hierarchicae subordinationi plane inimici. Etenim parochis censuras et suspensiones palam cominantur, si in posterum autoritate nostra iis in locis sacramenta administrent ; populo et tenero gregi orthodoxo hisce turbulentis temporibus nullitatem absolutionis a parochis nostris ipsis impertitae propalam et e pulpito proclamare non cessant, et si quos forte reppererint e nostris sacerdotibus magis discolos et ad licentiam pronos ipsis parochias illas quales in titulum ultro obtrudere praesumunt quo liberius sese e nostra ferula et disciplina ecclesiastica subducant, utpote a solis monachis suum ius derivantes. Ex quo facile colligit Emtissima. D.V. quam sint nobis non mediocriter graves, quam infirmo gregi

* Missing.

† Thomas Fleming, appointed Oct. 23, 1625 ; died 1655.

periculosi, si latius serpat cancer. Certe ut lenissime dicam, videtur ex patre diabolo succrescere haec domestica contentio, sopitis aliquantulum prioribus; ut populus hactenus similibus discordiis laceratus tandem absumatur, adeo ut sacramenta frequentare aut negligat aut certe cum conscientia dubia suscipiat. Utrumque enim ordinaria iurisdictio stare nequaquam potest. Porro istarum parochiarum continua possessio fuit penes nos et penes praedecessores nostros his centum plus minus annis, si non ab ipso fundatae fidei exordio; et tamen monachi vix hic a triennio noti parochos nostros viros doctos ac graves, immo et quosdam in Sacra theologia supremam lauream adeptos, ab ipso altari, populo spectante et immanem barbariem detestante, ab omnibus pastoralibus muniis abigere non verentur; adeo ut nuper iuveniculum quemdam monachum in religione nondum triennem non puduerit glebam in usum sepulturae benedicendam, in plena ecclesia, viro gravi prothonotario apostolico, S. Theologiae doctori, iam quidem nostro paracho, sed olim ab annis plus quam viginti alibi Apostolico Vicario, titulo pastoralis iurisdictiois eripere, populo adeo in monachum excandescente, ut parochianorum non nemo eum intra sacellum palam provocaverit, ut paenas meritas daret. Quae omnia cum iniurosa sint, cum nobis de eorum titulo nihil constet, nec ipsi quidquam authenticum canonice proferant quo illas sibi parochias vindicent, dignabitur, Emtissima. D.V. pro ea qua fertur erga hanc vineam cura et solitudine tempestatem hanc sua et Apostolica autoritate quantocyus sedare, et pauculas scintillas priusquam in flammam erumpant ad petram allidere, ne alias populus Catholicus in devotione et religione vacillet, clerus ob depressam auctoritatem in suo munere tepescat, et haereticorum risus, semper ad miseras et iurgia nostra pronus, ex frequentibus dissidiis eousque procreetur, ut merito identidem ingeminare et obiicere nobis possint: Ubi est Deus eorum? Quod ubi fecerit, hanc ecclesiam et clerum Dublinensem aeternum sibi devinciet. Interim Deus Opt. Max. Emtissimam. D.V. nobis et universae suae Ecclesiae diu servet incolumem. Datum ex loco mansionis nostrae, feria sexta post Dominicam Sexagesimae, Anno Christi 1640 stil. vet.

Eminentissimae Dominationis Vestrae servus

fr. Thomas Fleming

Archiepiscopus Dubliniensis

15 die Martii 1641 stil. Novo.

Hiberniae Primas

[*Endorsed.* VIS^o SS. LIMINUM ARCHIEPTUS. DUBLINENSIS PRO 15 QUATRIENNIO IN HIBERNIA.]

VOL. V.—8

Io D. Giovanni de Bar sottaltarista di S. Pietro fo fede come iſ sigre. Mauritio Vaerdeo ha visitato limina Aplorum : in dicta Basilica in nome di Mons. Illmo. Arcivescovo di Dublin questo die 23 Ottobre 1641

Ego Io : de Bar manu ppria.

Fidem facio ego Claudius Galluccius Cappellanus Basilicae S. Pauli extra Urbem, qualiter Illmus. et Rmus. D.D. Mauritius Vardeus visitavit limina Apostolorum in supradicta Basilica nomine Illmi. et Revmi. D.D. Archiepiscopi Dublinen. Hodie 23 octobris 1641. Claudius Galluccius manu ppria.

Ex Regesto Litterarum responsorialium Visit. SS. Liminum VII. folio 226 sqq.

Dublinien. Archiepiscopo Hiberniae Primati :

Accessit nuper Procurator ab A. T. pro sacris liminibus visitandis specialiter delegatus Rev. Mauritius Vardaeus, Presbyter istius Dioecesis, et ex gratia SSmi. D.N. ad id muneris pro XV quadriennio ob praesentes bellorum calamitates admissus (cum alioquin ex praescripto Constitutionis Sixti PP V sa. me. Canonicus Ecclesiae Cathedralis ablegari debuisset). Attulit quidem ipse Epistolam Amplit. Tuae, quae de monachis Cisterciensibus iura sibi in Parochiis vindicantibus plurimum conquereretur; eaque Emmi. Patres S.R.E. Cardinales Ecclesiarum sollicitudinibus praepositi lecta, vehementer indoluerunt, quod superseminante homine inimico zizania Ecclesia Hibernica laicorum religione ac zelo laudatissima, ipsorum ecclesiasticorum inanibus dissidiis quotidie conteratur, et schismata sint inter vos, quibus in vituperium ministerii nostri non Brittanicam tantum sed universam Catholicorum contristatis Ecclesiam. Hunc quis errorem a vobis auferat, si vos elegit Dominus ut errores auferatis ceterorum? Habetis Sac. Conc Tridentinum in Parochiis iura praescribens; novissime vero sa. me. Gregorii Papae XV Constitutionem super exemptorum privilegiis editam modum inter Episcopos et Religiosos circa Parochiarum ministeria statuentem. Haec servate et invenietis requiem animabus vestris!

Porro quod ad SS Liminum Visitationem attinet satis mire obstupuerunt Emis. Patres quod A. T. Ecclesiae Dioecesisque suae relationem non transmiserit, sciens etenim aut scire debens sacrorum

liminum visitationem non vacuam esse ceremoniam ad Apostolicae Sedis obsequium introductam, sed Spiritus Sancti afflatu in ipso nascentis Ecclesiae exordio institutam fuisse ut Romana Sedes ceterarumque Mater et Magistra inferiorum ecclesiarum statu relato ea quae cognosceret reformet et protegat provisione aut patrocinio indigere ut uno ore per universum orbem laudemus Deum Patrem Omnipotentem.

Amplitudinis Tuae partes ergo erunt uberiores eamque omnibus absolutam numeris relationem remittere, futuram eiusdem figuram quam in extremo die aeterno Iudici de commisso sibi grege erit redditura. Eidem Amplitudini Tuae de reliquo omnia a Domino proposita postulamus. Romae : Prima octobris 1641.

LIMERICK,* 1649.

Emmi. et Rmi. DD.

Licet hisce temporibus difficillimum sit quadriennii rationem in Urbem transmittere ob varia terra marique in itinere pericula, ac bella in ipso Regno, quae excusare possent a personis transmittendis ad saecuriora tempora, tutius tamen visum iuramento facto in consecratione pro visitatione Liminum satisfacere ex parte saltem, quam incurrere periculum negligentiae. Meae itaque Dioecesis rationem simul cum his transmittito, et Canonicum qui meo nomine praesentet ac ulteriorem reddat rationem in his partibus, ut ita debito meo in parte saltem satisfaciam ; ac VV. EE. manus deoscolor. Limerici in Hibernia

26 Martii 1649

Emmi et Rmi DD.

servus obsequus. et Humillmus.

Ed: Epus Limericen.

Nos Edmundus Dei et Apostolicae gratia Sedis Epus. Limericen. omnibus praesentes litteras inspecturis salutem : Quoniam gravibus huius Regni negotiis occupati, ac nostrae Dioecesis reformationi intenti sumus adeo ut cogamur per alium limina Apostolorum visitare,

* Edmund Dwyer, appointed May 23, 1646 ; died 1654.

decrevimus itaque R^{dum}. admodum D^{num}. Ioannem Crevaeum sac. Theo. doctorem et Canonicum nostrae Cathedralis Ecclesiae Limericensis legitimum nostrum Procuratorem constituere ac nominare, qui nostro nomine visitatis Apostolorum Petri et Pauli liminibus rationem redderet Smo. Dno. nostro conditionis huius dioecesis, cuius curam hoc triennio elapso gerimus, sicut et per hoc publicum instrumentum nominamus et constituimus dictum D^{num}. Crevaeum ad effectum supra. In cuius rei fidem adposuimus manum ac sigillum nostrum. Datum Limerici die 20 martii 1649.

Ed. Epus. Limericen.

B^{me}. Pater

In ratione Pastoralis officii reddenda pro elapsis annis iudicavi opportunius mutationes Regni breviter exponere :

Ante tres annos magna regni pars libera fuit ab incursibus hostium praevaletante Confederato milite qui sub regula et disciplina continebatur per supremum tunc Concilium ; sed factionibus inter Confoedaratos crescentibus non absque aliquorum Praelatorum auxilio et consilio, vires Catholicorum in divisione minutae hostium victoriis, rapinis, sacrilegiis, incendiis locum praebuerunt. Multum etiam infortunii successit ex aperta ruptura Catholicorum anno elapso et animorum dissensu contra Juramentum publicum toties publice factum de unione conservanda in causa publica Fidei et Regni, haecque dissensio accidit ob cessationem armorum per supremum Regni Concilium, ac ordinem factam contra mentem Illmi. Dni. Nuntii Apci., cum haeretico prout plenius ex relationibus, appellatione, aliisque informationibus hinc inde scriptis et Romae transmissis patebit. Mala haec in causa fuerunt, ut disciplina ecclesiastica quam, temporibus Illmi. Dni. Scarampii, Episcopi nostri introducere coeperant, omnino cessaverit et cogantur denuo iam incipere a fundamentis.

Haec itaque Dioecesis habet Cathedralem Ecclesiam sitam in medio Civitatis de Limerick amplam satis ac pulchram, sed non pro loci conditione adhuc ornatam ; in ea sunt Dignitates quinque, Canonicatus decem, Vicarii que Chorales decem, eo tandem reducti sunt, ut (licet gaudeant tertia parte fructuum, duabus aliis ex Praelatorum consensu pro sustentatione belli concessis) Officium divinum in Ecclesia quotidie recitent, quod antea a centum annis non fuit factum ; in habitu etiam et tonsura incedunt, in qua re perficienda nonnullam habui difficultatem. Civitas haec habet praeterea parochias

quatuor et duos Conventus; Sanctorum scilicet Dominici et Francisci; in ea etiam habent residentiam et oratoria Patres Societatis Jesu, Capucini et Carmelitani discalceati, necnon Patres Eremitae S. Augustini.

In Dioecesi extat collegiata Ecclesia in oppido Killocia, in qua morantur Praepositus cum sex Vicariis et ruri triginta quatuor parochi, cum duobus Conventibus Scti. Francisci et alio Scti. Dominici; omnes fere parochi habent duas parochias pro singulis per dispensationem Apostolicam propter tenuitatem fructuum; plures ecclesiae destructae sunt, nonnullae ab hostibus combustae, quibus malis remedium adhiberi non potest, nisi successu temporis. Plerique Regulares praetextu privilegiorum aut facultatum concessarum tempore haeresis maxime impediunt reformationem Cleri, dum ipsi in locis tutissimis totius Regni procedunt in habitu saeculari, cum capillis oblongis more militum, celebrant in domibus privatis, ubi ecclesiae sunt apertae et bis in die ubi nulla est necessitas, nisi quam ipsi fingunt. Itaque esset ex re advertere Superiores Regularium non esse amplius licitum Regularibus Hiberniae aliter se gerere in hoc Regno quam iuxta suarum Institutionum normas. Presbyteri Missionarii magnum faciunt Fidei Catholicae augendae fructum; in villis enim et pagis meae Dioecesis dum Missiones exequantur maxima eos frequentia hominum insequitur, quorum plerique ad saniores vitae statum reducuntur. Eorum ministerio spero me brevi posse Clerum et populum ad antiquam devotionem reducere. Et haec est vera relatio status meae Dioecesis, quam post humillima Sctorum. Pedum oscula offero Ex oppido Killocia die 26 Martii 1649.

Ed. Limericen Eps.

Illmus. ac Rmus. Dominus Edmundus episcopus Limericensis visitavit per Procuratorem admodum Rev. Dominum Ioannem Crea S.T.D. Limina Apostolorum Sancti Pauli de Urbe, die nono julii 1649, et ego D. Dominicus Galli Romanus hoc testifcor, Vicarius eiusdem Basilicae.

QUINTIUS DE BUBALO Canonicus et Altarista: Illustrissimus et Reverendissimus D. Edmundus Limericensis Episcopus in Hibernia per admodum R. D. Ioannem Crea S.T.D. et Canonicum eiusdem

Cathedralis Ecclesiae procurator ad id deputatum, visitavit limina Sacrosanctae Principis Apostolorum Basilicae, et praesentem fidem a Nobis obtinuit hac die II Mensis Augusti, Anno 1649. Ego Francus de Sanctis Subaltarista manu propria.

Die 17 Iulii 1649 S. Congr. Concilii censuit dandas esse litteras Visitationis sacrorum Liminum in forma pro XVI quadriennio quae contineant etiam responsiones datas ad proposita, prout latius in Regesto litterarum continetur.

[*Endorsed.* REL^o STATUS ECCLESIAE LIMERICEN. IN
HIBERNIA PRO 16 QUADRIENNIO IN PROXIMA.]

Ex Regesto Litt. Respons. Visit SS Liminum, Vol. IX. fol. 67.

Perillustris, etc. Ad Apostolicam Sedem accedens Procurator ab Amplitudine Tua qua specialis ablegatus, Sacra Beatorum Apostolorum Limina pro XVI quadriennio eius nomine humiliter visitavit, et statum Ecclesiae Limericensis retulit Emis. Patribus, qui laudarent Amplitudinis Tuae pietatem et sollicitudinem in reparandis episcopalibus ruinis quae intestini belli grassantes calamitates in Dioecesi sua et in universo Regno nimis lachrymabiliter intulerunt, quae sicuti Cleri disciplinam indubitanter enervant, ita pastorale pectus Amplitudinis Tuae excitare etiam atque etiam debent, ut concussa Ecclesiasticae rei fundamenta tanto fortius eius opera stabiliantur.

Cum autem laboribus suis quibus in commissa sibi vinea excolenda diutius insudat nihil magis obstare exposuit quam nimia Regularium dissolutio atque licentia, non omitemus per Superiores ipsorum agere ut omnino suum quisque ordinem ad suarum Regularium normam reformet atque reducat.

In reliquis Amplitudini Tuae tenendum erit, quia Apostolica Sedes, quam nuper tamquam Matrem ac Magistram venerata est, omnem operam, auctoritatemque suam collatura sit, ut ea in suis necessitatibus succurrat, Ecclesiamque istam materno sinu foveat protegatque, cuius interim beneficio atque solatio, ut Deus Amplitudinem Tuam diutius incolumem servet et maiorum in dies charisma-

tum faciat ubertate laetari votis omnibus obsecramus. Romae die
17 iulii 1649.

FERNS,* 1653.

STATUS ECCLESIAE FERNENSIS EXHIBITUS PER NICOLAUM FRENCH
EIVS EPISCOPUM CONGREGATIONI SACRI CONCILII IN VISITATIONE
LIMINUM APOSTOLORUM 19 MAII 1653.

Consecratus die vigesimo tertio Novembris anno Domini 1645 in Fernensem Ecclesiam pro sponsa accepi puram a labe hereticae impietatis; in capitulo inveni quinque dignitarios nempe Decanum, Praeentorem, Thesaurarium, Archidiaconum cum decem aliis Canonicis; erant parochi beneficiati viginti, qui numerus meo tempore auctus est, quibus addidi cum congrua portione decimarum e Parochiis vacantibus octodecim Vicarios, omnes sacerdotes belli impetu ex aliis Regni Provinciis extorres et exutos suis beneficiis.

Erant in dioecesi duo splendida Monasteria Ordinis Cisterciensium; unus Prioratus Canonicorum S. Augustini; monasteria tria Ordinis Scti. Francisci; unum Ordinis Eremitarum Divi Augustini; unum exiguum Collegium Societatis Jesu; et tres Familiae Sanctimolium, nempe una sanctae Clarae et duo sanctae Elisabethae.

Numerus animarum secundum bonam coniecturam (certitudo capitatum non est habita) reputabatur octoginta millium, et inter tot duo tantum erant heretici. Floruit cum splendore religio spatio quatuor annorum sed serenum diem secuta est nubes, et rabies hereticorum pacificum Dei cultum evertit, Cromvello atroce militis Anglicani imperatore repentinum populo interitum inferente, qui undecimo die octobris anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono cum quindecim millium exercitu Wexfordiam capitalem dioecesis civitatem per impetum expugnavit, populum barbaramente occidens (nam quinque horis duravit internecio) sacerdotes mactans ad altare, res omnes sacras et pretiosas avidè diripiens, et domum meam cum tota substantia exspolians. Huius hostis amentia hodie omnes pollutae squalent ecclesiae, coenobia versa sunt in usus prophanos, bona ecclesiastica praeda furum fiunt, et vasa sacra pocula temulentorum. In hoc solo possum consolari suam Sanctitatem quod populus qui relictus est sub scelerati hostis imperio, poenis affectus gravissimis, maneat totus catholicus, gubernatus a venerabili Domino Nicolao

* Nicholas French, consecrated, Nov. 23, 1645; died 1678.

Redmond Vicario meo Generali viro pio et erudito, et Parochis viginti cum tribus Religiosis, qui pia agentes et crudelia patientes et molitorum, sutorum, cerdonum aliorumque mechanicorum personas et artes simulantes, spretis privatis periculis, praebent animarum pabulum salutis.

Solus ego a dilectissimo grege avulsus et profugus gemo inconsolatus metuens ad meos profiscisci ne fiam specialis et gravissimae persecutionis auctor, quem anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo in sylvis meae dioecesis spatio quinque mensium latitantem ut possim esse pusillo gregi solatio, quaesivit ad necem ferox hostis, aedes cuiusdam nobilis Catholici explorans, cum strictis gladiis ad me occidendum et postea comburens casam meam in sylva et domos agrorum in quibus consueveram celebrare.

Talis est impraesentiarum pavor et persecutio populi mei valde imminuti et humiliati in terra, vix enim iam octodecim millia sunt in tota dioecesi loco octoginta millium quos inveni, suscipiens regimen animarum. In capitali vero civitate (ubi erant facile octodecim millia orthodoxorum) modo tantum vivunt quinquaginta cives Catholici, reliquis partim gladio sublatis, partim in exilium actis.

Talis est Pastorum aerumna et egestas, talis vineae vastitas et animarum ruina. Ego ita affirmo manu propria die et anno supradictis.

Nico : Epus Fernensis.

QVINTIUS DE BVBALO canonicus et Altarista. Illustrissimus et Reverendissimus D. Nicolaus Frenech Episcopus Fernen. in Hybernia personaliter visitavit limina Sacrosanctae Principis Apostolorum Basilicam et praesentem fidem a Nobis obtinuit hac die 5 Mensis Maii Anno 1653.

Ego Franciscus De Sanctis Subaltarista manu propria.

Die 6 Mense Maii Anno 1653 Illmus. et Revmus. D. Nicolaus French Epus Fernensis in Hibernia personaliter visitavit Limina Apostolorum in Sacrosancta Patriarchali Basilica S. Pauli extra muros Urbis : de quo ego infrascriptus Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cassinensis, fidem facio.

D. Michaelangelus Romanus Vicarius.

[*Endorsed.* DIE 21 IUNII 1653. SACRAE & C. DENTUR
ATTESTATIO SACRORUM LIMINUM PRO 17 QUADRIEN-
NIO IN FORMA.]

LEIGHLIN,* 1658.

Fr. Edmundus filius Vicecomitis Clanmalirae ex Illma. O'Demsiorum familia ab Urbano VIII° ex Ordine Praedicatorum assumptus in Episcopum Laghlenae in Provincia Dublinensi in Hibernia, non valens ipse prae senio personaliter accedere ad visitanda sacra limina Apostolorum, carensque prae inopia mediis ad mittendum alium suo loco, me fratrem Richardum Longfordensem Capucinum ad hunc effectum specialiter deputavit cum hac relatione status sui suaeque Ecclesiae: ita enim in sua persona loquitur D. Episcopus:—

Ut referam, inquit, causam tam absentiae meae a dioecesi, quam eversionis Ecclesiae et dispersionis gregis mei, sciendum est Laicam illam supremi Concilii Hiberniae partem, quae per fas et nefas statuit extinguere sacram Catholicorum Foederationem, et in eius locum postliminio revocare et stabilire gubernium haereticum, coniurasse (invita altera parte ecclesiastica et etiam laica eiusdem Concilii) cum barone de Insiquin haeretico, et mediante illo cum omnibus Praesbyterianis Parlamentariis Angliae, Scotiae, et Iberniae ad reducendum Marchionem Ormoniae Puritanum in Proregem et ad expellendum Nuncium Apostolicum et supprimendum Clerum et Catholicos, idque specie quidem et nomine induciarum seu foederis antea damnati publico decreto Congregationis Praelatorum Regni, ubi omnes Iberniae Archiepiscopi plurimique Episcopi, ad foedus illud ulterius damnandum etiam censuris deputarunt aliquos Episcopos. Qui postea cernentes consiliarios illos contumaces contra Regni leges, publica pacta, comitiorum Regni generalium statuta, et publica iuramenta saepius iterata, non modo furtive conclusisse tam iniquum foedus, sed etiam, ad opprimendum Dnum. Nuncium et Catholicos, in aciem simul deduxisse exercitus schismaticos et calvinisticos; tunc ipsi uniti cum Dno. Nuncio, cum nullum aliud superesset humanum remedium, ad instantiam Cleri et Nobilium anathematis sententia percusserunt authores et fautores illius iniqui foederis et eos qui sese cum haereticis iungerent et arma sumerent contra Catholicos, etc. Politici illi desertores sacri foederis, spretis hisce censuris, tum foris ferro uniti cum hereticis, tum domi sacrilegis decretis et edictis debacchantes in Dnum. Nuncium, in Clerum et Catholicos, omnia everterunt, prodiderunt, Ormonium eiusque haereticum Gubernium reduxerunt stabilieruntque, suppresso supremo Catholicorum Concilio, regimine et Confoederatione; e Regno pro-

* Edmund O'Dempsey, appointed March 10, 1642; died 1661 (*circiter*).

fanis edictis et ferro eliminarunt Dnum. Nuncium Apostolicum mortalium omnium zelantissimum, eumque variis calumniis, libellis famosis, persecutionibus, obsidione, bonorum publicatione, incarceratione ministrorum ipsius, impie affecerunt et sinceros Regni Ecclesiasticos et Catholicos pari crudelitate affixerunt, vendiderunt, prodiderunt. Atque ita in coniuratione, contumacia et anathemate computrescentes perstiterunt, donec (a Deo puniente tantam perfidiam) provocarunt in caput suum et in totum Regnum indignationem Dei, pestem, famem, gladium, persecutionem, Religionis extirpationem; et donec a Deo excaecati sua sponte tradiderunt se et omnes Catholicos in manus impii Cromuelli et Parlamenti, a quibus multi eorum propter haec proemia acceperunt.

Constat vero ex litteris D. Nuncii et testari possunt quotquot me noverunt Itali et Hiberni quam fuerim ego fidelis, constans ac activus pro Ecclesia Dei, eiusque Ministris Apostolicis, et pro Catholico nostro foedere meoque grege, ne a seductoribus istis perverteretur; numquam declinavi a recto tramite, quo incesserunt D. Nuncius, Archiepiscopus Ardmachanus Regni Primas, Archiepiscopus Dublinensis et ceteri Episcopi et Catholici sinceri, licet fuerim ab illis refractariis varie tentatus, invitatus et violentatus prece, precio, minis, edictis perduellionis et proscriptionis bonorum. Sed haec omnia non me potuerunt separare a corpore Ecclesiae et Ministris sanctae Sedis; immo triennio toto post expulsum D. Nuncium permansi, subeundo varia discrimina vitae in sylvis, et montibus, et cavernis et locis desertis, in angustiis et inedia, congregans et cogens Catholicos ad arma et unionem; expectans e caelo vel solo auxilium; donec animadvertens supremum ducem exercitus Catholici, D. Richardum O Foerallum, dolo et machinatione pseudo-Catholicorum istorum, solum fere esse derelictum, et omni auxilio destitutum, et eversores Religionis et patriae fieri ministros et exploratores haereticorum ad nos perdendum; donec videram immanem cladem et barbaram caedem cleri et Catholicorum et dioecesis meae; donec tandem videram charissimam meam Patriam (olim sanctorum insulam et patriam) fieri praedam et speluncam haereticorum, ac destitui omni fere catholicae religionis exercitio et libertate, templaque profanari, coenobia dirui, everti altaria et sacratoria quaeque pollui; tunc tandem, et non prius, prudentissimorum monita sequutus, non tamquam Mercenarius ad consulendum vitae meae, quam pro meo grege millies profundere cupio, sed pro eiusdem gregis securitate et salute (quia illius persecutio, carceres, servitus, et strages propter meam praesentiam crescebant semper nisi me traderent) tunc inquam, coactus discessi a dulcissima Patria in durum hoc exilium, in quo

procul a carissimo populo meo, maerore et miseriis quotidie lacrimis in maxillis meis plango eversionem Religionis et gregis, et sic paulatim contabesco, et nunc periissem sane inedia, nisi pietas et munificentia Excmi. D. Vincentii Gonzagae Itali, Galiciae Proregis me sustentaret; discrucior autem desiderio redeundi ad derelictum meum gregem ut cum ipso citius moriar vel in miseriis aliquanto diutius subsistam. Quia tamen omnes praevident ex meo reditu centuplicandum esse persecutionis incendium, ideo pro eis quotidie moriens sed misere vivens, orare et per literas tantum eos solari conor.

Haec causa ruinae Religionis et patriae, et ratio absentiae et exilii mei. Quod autem spectat ad Dioecesim, Ecclesiam, et Clerum meum, flens dico, omnes fere perierunt. Perit Dioecesis mea Catholicissima, ubi (evulsa nuper et radicitus extirpata haeresi) floruit Catholica Religio, et ita viguit pietas et ecclesiastica disciplina, ut non semel ob hoc fuerit ab ipso Nuncio dilaudata. Perierunt, proh dolor! et hoc modo perierunt Dioecesani: Postquam Puritanus ille Ormonius eiusque asseclae politici Catholici, Clanrichardius, quinque Consiliarii, et eorum Complices, tradiderunt Provinciam, Civitates et reliqua loco Cromuello, tunc Catholici nostri sinceri ad lanienam et martyrium voluntarium deducti sunt: quidam enim eorum dire mactati sunt, alii in Americam mancipiorum instar divenditi sunt, alii vero eieci et transplantati, alii mortui sunt, alii plusquam misere vivunt. Reliqui in dioecesi ad inimicorum obsequium relictis, servitutem serviunt durissimam, et tyrannide plusquam pharaonica opprimuntur; adhuc tamen (licet absque duce, cruce, et pastore) adeo sunt in fide constantes, ut pro ea vitam et bona sponte profundant, et ferventiores videantur evadere e saeviore persecutione, dum pro immensa persecutionis mensura multiplicet Deus auxilia suae gratiae.

Perit quoque ecclesia mea aut saltem ita est omni ornatu et suppellectili denudata, et sicut reliquae Regni Basilicae profanata ac viduata, ut iumentorum potius stabulum, quam Numinis templum et sacrarium videatur; amplissimos eius redditus inter se dividunt profani heretici, dum ego pauper et egenus inter externos alienum panem mendicare cogor et erubesco. Periere pene omnes fidelissimi dioecesis meae Pastores, qui invita politicorum et hereticorum factione perstiterunt adeo fideles Ecclesiae et mihi, ut pro Ecclesia Christi, pro disciplina et immunitate Ecclesiastica, vitam, nedum bona omnia, effuderint; nec potuerint prius a cura sibi commissa abigi, quam extincta militia, et deletis nobilibus, fuerunt cum fidei meo Vicario Generali Carolo O Nualano in exilium relegati.

Haec luctuosa rerum nostrarum catastrophae; haec deploranda

ratio infelicis villicationis meae, quam infelicioer ego reddere possurr, quamque ad sacros pedes Domini mei sanctissimi Patris Alexandri VII prostratus exhibeo. Et cum sim senior Provinciae Episcopus, humillime peto, ut Seta. Sedes non sinat illic prorsus extingui religionem catholicam defectu Pastorum, cum plurimi sese offerant ad hoc malum evertendum.

Deinde ut mihi ipsi et gregi meo fiddeli impertiri dignetur Smus. suam sanctam benedicionem Apostolicam, pro qua et pro facultate absolvendi excommunicatos illos, qui Religionem et patriam destruxerunt, mihi concessa, gratias semper habeo, agamque infinitas Sanctitati Suae, quam Deus, etc.

[*Endorsed.* LAGLIEN. VISITNIS. SS. LIM. Die S.C.c
dandas litteras cum resp.]

Ex Regesto Litt. Respons. Visit. SS. Lim. Vol. XI. fol. 103 sqq.

Leghlenensis. Per Illris et Revme Dne. Uti Frater. Annuente SSmo. Dno. Nro., frater Riccardus Longfordensis Ordinis Capuccinorum qui Amplitudinis Tuae nomine, ad mentem Constitutionis S. Mem. Sixti V de sacris liminibus visitandis, BB. Apostolorum Basilicas veneratus est. Per Emos Cardinales, qui a Sede Apostolica Sacro Tridentino Concilio interpretando sunt, humaniter exceptus fuit. Luctuosam ille Leghlenensis Ecclesiae descriptionem exhibuit, quae Emnos Cardinales dolore cordis intrinseco affectit : secum reputantes pristinam inclytæ Hiberniae pietatem, quae Sanctorum Insula olim appellari meruerat, nunc vero sectariorum furore percussos ibi Pastores et dispersas oves ipsamque orthodoxam fidem eversam. Sed quoniam virtus in tribulatione perficitur, et bonus est Dominus sperantibus in illum, ideo confidunt Emmi. Patres inter has rerum angustias Sacros Pastores animum non desponsuros, sed crediti sibi gregis reliquias, prout temporis ratio patietur, sedulo curaturos, salutare Dei expectantes qui non delectatur perdicionibus nostris.

Ceterum quoad Amplitudinis Tuae a Leghlenensi dioecesi discessum et quoad operarios, quo eius zelus ad instaurandam in Hiberniam Catholicam Religionem, postulat, Emmi. Patres in Sacra Congregatione de Propaganda Fide agendum esse censuerunt, a qua etiam prout expedit, circa facultatem absolvendi illos qui ob narratas ab Amplitudine Tua Causas ecclesiasticis censuris obstricti sunt,

provide consuletur. Interim ab eo qui est Deus totius consolationis, Amplitudini Tuae precamur, ut post tempestatem tranquillum faciat, et post lacrymationem et fletum, exultationem infundat.

Romae 29 septembris 1658.

TUAM,* 1658.

In Dei Nomine Amen.

Noverint universi huius publici instrumenti tenorem inspecturi, quod anno a Nativitate millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo, die vero 22 iunii Pontificatus Smi. in Chro. Patris D. N. Alexandri miseratione divina PP. septimi anno quarto; Nos Ioannes de Burgo, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepus Tuamensis in Ibernia principaliter et pro nobis ipsis omnibus melioribus modo et via causa iure et forma quibus melius et efficacius de iure possumus et debemus: facimus, constituimus et ordinamus solemniter nostrum verum, certum, legitimum et indubitatum Procuratorem Eximium ac Revmum. Dnum. Iacobum Duleum S.Th Doct. nostro nomine et pro nobis ad visitanda SS Apostolorum Petri et Pauli limina et ad praesentandam et porrigendam relationem praesentis status nostrae Archiepiscopalis Sedis et Dioecesis Tuamensis cum maiori qua possumus submissione et obedientia praelibato Smo D. N. Papae prout moris est et tenemur; necnon Emis. DD. Cardinalibus S. Conc. Tridentini Interpretibus. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium hisce subscripsimus et sigillum nostrum apposuimus; in loco exilii nostri, Nannetis in Britannia Armorica, Anno et die quo supra.

(L. S.)

Io Archiepus Tuamen.

De mandato Illmi: Edmundus Heyne Archidiaconus Duacen. Secretarius

TUAMIAE CONACIAE METROPOLIS STATUS ANNO 1658.

Ecclesia Archiepiscopalis eiusdem quae Stae. Mariae Virgini dicata dignoscitur, iam saevitia Sectariorum in Hybernia diu dominan-

* John de Burgo, appointed March 11, 1647; died 1666.

tium fere in ruinam et omnimodam desolationem redacta est. Iure metropolitico quinque cathedralibus sibi ab antiquo suffraganeis, videlicet Duacen, Elphinen, Clonferten, Acaden. et Aladen. praeest. Capitulum ipsius constabat Decano, qui erat prima dignitas post Pontificalem; Archidiacono, Praeposito, Thesaurario et Cantore; viginti quatuor Praebendariis et aliis duodecim qui Infantes chori vocabantur nec erant Capitulares. In ipsa Civitate est Palatium Archiepiscopale nuper, hoc est ante annos octo, opera Ioannis de Burgo moderni Archeipiscopi adhuc in vivis in integrum reparatum est, et auctum a fundamentis; nunc autem usurpatum a Sectariis. In eadem erant duo Monasteria quorum unum erat Ordinis Praemonstratensis SSmae. Trinitati dicatum et dictum, alterum vero sancti Ioannis appellatum, et cuius Ordinis fuerit non apparet satis. Habet sub se octo Decanatus Rurales qui continent trecentas viginti duas Parochias. Sunt in Dioecesi quinque Abbatiae Regulares olim celebres et multum opulentae; primum locum occupat illa, de Conga, ordinis Canoniorum Regularium Scti. Augustini; secundum illa de fonte S. Patritii, vulgo Ballintobyr eiusdem Ordinis; tertium illa de Mayona eiusdem etiam Ordinis; quartum illa Collis Victoriae, alias Cnockmoya, Cisterciensis Ordinis; quintum illa sanctimonialium Benedictini Ordinis vulgo dicta de Kilchrevanta, alias de casta Sylva, magnorum proventuum. Duae ecclesiae collegiatae quae ad omnia onera consueta erant sub Archiepiscopo et eius pro tempore Vicegerenti: una erat sita Galviae quae inaniter et absque ullo legitimo fundamento in iure contendebat sibi vindicare exemptionem a iurisdictione Ordinarii; altera Mayonae in qua erat quondam sedes episcopalis suffraganea Tuamensis cui iam est unita, et celeberrima Studiorum universitas. Per universam dioecesim erant plures Conventus Ordinis Mendicantium: Galviae autem ante nuperem suppressionem habitabant collegialiter PP. Societatis IESU, qui ibi docebant litteras humaniores et Philosophiam, Carmelitae discalceati, et Capucini. Erat ibi ab antiquo unus Conventus Ordinis Praedicatorum dictus templum B. M. Virginis, parte occidentali oppidi Galviensis, sicut erat alter Scti. Francisci strictioris Observantiae a parte boreali, et alter Eremitarum S. Augustini, omnes extra muros. Item Athunriae unus Scti Dominici Ordinis Praedicatorum, et Boresuliae alter eiusdem Ordinis, Dunmeriae Birminghami unus Ordinis Eremitarum S. Augustini, Belahaunis alter eiusdem Ordinis. Item Ballinrobae, Borescarae et Murskae tres Conventus eiusdem Ordinis; Carmelitarum unus Conventus Ballinsmalae et alter de Creveaghban prope Tuamiam, et tertius de Ballinihinsin in Connomara. Clarae alias Balchar prope Galviam

unus Conventus Ordinis S. Francisci, tertiae Regulae ut creditur; Rossiriellae alter Regularis observantiae; et in insula dicta Ara Sanctorum alter S. Francisci eiusdem Regularis observantiae. In eadem insula Araniae fuit aliud Monasterium Canonicorum Regularium S. Augustini cuius nomen excidit memoriae mihi exulanti in Galliis. Anachdunae in qua etiam olim fuit ecclesia Cathedralis, iam uti Mayonen. unita Tuamen, cuius erat suffraganea, duo existerunt Monasteria, unum dictum de Portu, Patrum Canonicorum Reg., alterum sanctimonialium Ordinis Aroacensis cuius fundator erat S. Brendannus, qui suam sororem Brigamin eo primam Abbatisam instituit.

Iam in dicta dioecesi, Archiepiscopo violenter in exilium relegato, tres Doctores, quorum duo Theologi et tertius I. U. Professor ab ipso sui Vicarii Generales, Commissarii et Officiales instituti vigilanter inserviunt et sunt percelebres praedicatores. Sub ipsis incumbunt Curae aniamarum sexaginta et ultra sacerdotes ab ipsomet Archiepiscopo approbati: adsunt etiam ipsis plurimi Regulares diversorum Ordinum Mendicantium et aliqui Canonici Regulares.

Census annuales huius Archiepiscopatus, terris eiusdem et decimis mensalibus bene et recte locatis, valebant ter mille libras sterling. et ultra, sed decimae terrae et proventus omnes alii percipiuntur ab usurpatoribus Anabaptistis, Independentibus, aliisque id generis et farinae Sectariis quos Deus convertat aut destruat.

Hic aliqua desiderantur, memoria non subveniente et monumentis deficientibus. De caetero relatio est vera testantibus nostra subscriptione et sigilli nostri impressione. Nannetis, 22 iunii 1658.

(L. S.)

Io, Archiepus. Tuamen.

De mandato Illmi

Edmundus Heyne Archidiaconus Duacen, Secretarius.*

[*Endorsed.* THUAMENSIS VISITATIONIS SS. LIMINUM.
Die V Obris 1658 S. C. C. dandas esse litteras testimoniales Visit. SS. L. minum.]

* Appended is the certificate of the visit ad Limina made by the Procurator, Aug. 3, 1658.

Ex Regesto Litt. Respons. Visit. SS. Liminum.

Thuamen. Perill. et Revme. Dne. Uti Frater. Precentor Ecclesiae Miliensis ab A. T. delegatus ut eius nomine debitum Apostolicae Sedi obsequium ad mentem Constitutionis sa. me; Sixti V de sacris liminibus visitandis praestaret, speciali Smi. Dni. Nostri benignitate humaniter admissus fuit. Veneratus deinde BB. Aplorum basilicas lamentabilem ille Thuamensis Dioecesis descriptionem ad Emos Cardinales Tridentino Concilio interpretando Praepositos retulit. Qui peramanter compatientes flagellis quibus nuper visitavit Dominus Hiberniam, dolent praeclaram Christianae Reipublicae partem sincera pietate olim florentem, inebriatam nunc esse amaritudine, et dies afflictionis super eam inductos. Sed quoniam sperantes in Domino misericordia circumdabit, sperant Emmi Patres in tenebris orituram lucem ut tenebrae fiant sicut et meridies; et interim confidunt sacros Pastores reliquias gregis perquirendo et congregando, prout rerum ac temporum angustiae patientur, et ea ratione qua sacra Congregatio de Propaganda Fide censuerit expedire, viriliter ministerium suum impleturos, nempe bonum certamen certantes, cursum consummantes, fidem servantes, ut illis corona iustitiae reponatur. Nunc Ampni. Tuae precamur a Deo ut consolationibus suis animum eius laetificet, etc. Romae V octobris 1658.

Beatissime Pater

Ioannes Archiepus Tuamen, Robertus Corcagien et Cloynen, Franciscus Aladen, et Andreas Finiboren. Episcopi, ab haereticis proscripti ex Regno Hibernico, senes, infirmi, inopes, prostrati ad sacros pedes S. V. humillime rogant quatenus dignemini dispensare cum ipsis super visitatione liminum durante tempore exillii, infirmitatis, et paupertatis eorum. Quam Deus, &c.

[*Endorsed.* HIBERNIA, BEATMO PATRI ALEXANDRO SEPTIMO PONTIFICI OPT. MAX. PRO EPIS HIBERNIAE SUPER VISITATIONE LIMINUM. *Die 2 ianuarii* 1657 *Sanctmus. D. N. benigne indulisit ut Oratores valeant vistare SS. Limina per procuratorem existentem in Curia.*]

KILLALA,* 1659.

Anno Dni millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono, die undecimo mensis Martii. Ego Franciscus Kirovanus, Dei et scetae. Sedis Apostolicae gratia Alladensis dioecesis Episcopus in regno Hiberniae nunc autem hic Cadomi in provincia Normanniae commorans et multum desiderans satisfacere promissioni factae in consecratione mea, visitare scilicet per quodlibet vitae meae triennium, per procuratorem saltem si non personaliter, limina Apostolorum. In praesenti itaque ob senectutem, quippe in septuagesimo aetatis meae anno existens, ob defectum corporis virium et imbecillitatem, ob veram penuriam, eo quod ex mea dicta dioecesi ab incolis eiusdem Regni hereticis fuerim eiectus, et exsul factus omnibusque facultatibus et bonis privatus et expoliatus, dictae meae promissioni minime possim per meipsum satisfacere. Ideoque, ob praedictas rationes et causas procuratorem seu procuratores generales ac speciales, seu specialem tenore praesentium facio et constituo Reverendum admodum Dominum Dominum Jacobum Dulaeum, doctorem theologiae Paris. specialiter autem et expresse nomino et pro me ad praedicta limina Apostolorum per quodlibet triennium quamdiu et quotiens decens et opus erit visitandum, eaque omnia opera pia faciendum, exercendum et meo nomine praestandum, necnon singula gerendum quae egomet facerem et exercerem, si inibi personaliter adessem.

Ad quorum supradictorum finem et plenum effectum hoc praesens instrumentum feci cui subscripsi et sigillum apposui, die et anno supradictis.

(L. S.)

Franciscus Aladensis.

DEPLORABILIS STATUS CATHEDRALIS ECCLESIAE AC TOTIUS ALADENSIS
IN AFFLICTO REGNO HIBERNIAE EXHIBENDUS CONG. SACRI CON-
CILII PER R.MUM ADM. IACOBUM DULAEUM DOCTOREM, PRO-
CURATOREM RMI. DNI. FRANCISCI KIROVANI DICTAE DIOEC. IN
VISITATIONE LIMINUM APOSTOLICORUM.

Quamvis hereticorum rabie antefata dioecesis modo sit redacta in totalem ruinam, ad manifestandam obedientiam sanctae Sedi debitam ego idem Franciscus declaro me iuxta tenorem [litterarum]

* Francis Kirwan was appointed, Feb. 6 1645 ; the date of his death given by Brady (1654) is evidently incorrect.

SSmi. Domini foelicis recordationis Domini Innocentii pp. X. fuisse consecratum Parisiis in ecclesia Scti. Lazari 1645 die dominica, 7 Maii; et confestim versus illam meam sponsam iter accepi cum magno vitae discrimine, quam tamen per integrum annum continui belli impetu ingredi non audebam; postea, divina protegente gratia possessionem dictae Ecclesiae Cathedralis Scto. Patricio dicatae (pro dolor!) usque ad terram prostratae accepi; omnesque parochias viginti circiter quinque similiter vastatas quantum potui visitavi, in quibus viginti tantum presbyteros cum totidem fere religiosis diversorum Ordinum inveni, inter quos tres erant solummodo dignitarii, Decanus, Archidiaconus, cum Cantore, nulli prorsus Canonici, neque redditus pro eis apparebant, eo quod a centum annis et ultra nullus fuerat Episcopus catholicus in illa dioecesi qui memoriam vel registrum Pastorum vel beneficiorum retineret. Tria fuerunt splendida (uti fertur) coenobia Canonicorum Regularium Scti. Augustini, unum Coenobium Sctae. Crucis, quatuor Monasteria Mendicantium, unum videlicet Eremitarum S. Augustini, alterum Scti. Dominici, duo Scti. Francisci, unum nimirum strictioris Ordinis et aliud tertii Ordinis; diversae aediculae a Scto. Brandano exstructae pro Eremitis in exigua quadam insula; et mari finitimus est locus quidam celebris frequentatione peregrinorum poenitentiae causae qui vocatur Dune-Patrick; adhuc exstant parietes cuisudam devotae Cappellae in honorem Sctae. Dervillae virginis nobilis genere et miraculis clarae.

Tandem cum ircoeperam reaedificare Cappellam beatae Virginis annexam vetustis parietibus supra nominatae Cathedralis Ecclesiae ab hereticis captus et in carcere quatuor annis detrusus fui simul cum illmo. ac revmo. Dno. nostro Metropolitano Archiepiscopo Tuamensi et aliis triginta Ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus in exilium mittendis ad Americae mundi partes; sed Adiutor in tribulationibus factus fuerat nobis refugium, ut in Gallia missi fuerimus, relictis (gratias Deo) aliquibus Ecclesiasticis nondum captis ad solatium pusilli gregis nostri.

Quantum ad populum aliquando numerosum, nunc vero pro maiori parte gladio, fame et egestate a saeculo sunt defuncti, et perpauci in carne viventes, (infinitas gratias Omnipotenti) fortes sunt in fide, quamvis severe in dies persecuti, pro quorum constantia et usque in finem perseverantiam incessanter precari teneor.

Talem esse statum istius miserrimae Dioecesis testor et humillime repraesento Congregationi Sacri Concilii cum subscriptione manus propriae et positione sigilli

(L. S.)

Franciscus Aladensis.

Illustrissimus et Reverendissimus D Francus Aladensis Episcopus Bernien. per Admodum illum & R. D. Iacobum Duleum Praecentorem Ecc. Cadrlis. Limericensis in eodem regno suum Procuratorem visitavit limina sacrosanctae Principis Apostolorum Basilicae & praesentem fidem a Nobis obtinuit hac die 6 Mensis Iunii, Anno 1659.

Ego Francus. De Sanctis subltarista manu propria.

Die 7 Mense Iunii anno 1659

Pro Illo & Revo D. D. Francisco Aladense Epo Ibernense Admodum Rev. D. D. Iacobus Dulaeus Praeceptor Ecclesiae Cathedralis Limericensis in eodem Regno et suus Procurator visitavit Limina personaliter Apostolorum in sacrosancta Patriarchali Basilica S. Pauli Via Ostiensi: de quo ego infrascriptus Monachus Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Casinensis fidem facio

P. D. Petrus Paulus ab Urbe Vus.

[*Endorsed.* ALADENSIS IBERNEN VISIT. SS. LIMINUM.
Die 27 7bris 1659 C. C. C. dandas litteras respons.]

Ex Regesto Litt. Respons. Visit. SS. Lim. Lib. XI. fol. 207.

Aladensis Episcopo.

Perillustris etc. Annuente SSmo Dno Nostro rev. Iacobus Duleus Praeceptor ecclesiae Cathedralis Limericensis tamquam Amplitudinis Tuae Procurator ad praestandum eius nomine debitum ex constitutione sanctae mem. Sixti Quinti de sacris liminibus visitandis Apostolicae Sedi obsequium humaniter admissus fuit. Ille veneratis sacrosanctis BB. Apostolorum Basilicis mox ad Emos ac Revmos Dnos S. R. E. Cardinales Tridentino Concilio interpretando et postulatis Episcoporum sacra limina visitantium excipiendis praepositos luctuosam Aladensis Dioecesis conditionem retulit, qua dolore percussos cordis intrinseco Emos Patres affectit, reputantes secum pristinam gentis inclytae Hiberniae pietatem quae olim sanctorum insula meruerat appellari nunc vero sectariorum furore percussos ibi pastores et dispersas oves ipsamque orthodoxam fidem eversam. Sed quoniam virtus in tribulatione perficitur et bonus est Dominus sperantibus in illum, ideo confidunt Eminentissimi Patres inter has rerum angustias sacros Pastores animum non desponsuros sed crediti sibi gregis reliquias prout temporum ratio patietur, sedulo curaturos, salutare Dei expectantes qui non delec-

tatur in perditionibus nostris. Quam quidem animi constantiam in Amplitudine Tua agnoverunt ac laudaverunt Emmi. Patres, dum ipsa sub anno 1645 oves suas quamvis in medio luporum quasi ad occisionem ductas pastoralis visitatione lustravit. Postmodum vero in laboribus, in carceribus abundantius, in exsilio et aerumna animam suam pro grege ponens Apostolicae fortitudinis et patientiae specimen exhibuerit.

Nunc ab eo qui est Deus totius consolationis Amplitudini Tuae precamur ut post tempestatem tranquillum faciat, et post lachrymationem et fletum exultationem infundat.

Romae 27 septembris 1659.

KILMORE,* 1750.

Laurentius Dei et Aplicae. Sedis gratia Episcopus Kilmorensis volens adimplere iuramentum die suae consecrationis emissum scilicet 1 maii 1747 de reddenda singulis Quadrienniis ratione Ecclesiae suae, cum universo Clero suo ad pedes SSmi. Domini ac Patris Nostri pro-volutus, sequentem exhibet suae Ecclesiae et Dioecesis statum.

1. Haec dioecesis extenditur in longum per sexaginta milliaria et amplius, exigua est in latum, constat triginta sex Parochiis, habetque sibi contiguas Dioeceses Midensem, Clogheriensem, Ardaghanam, Rapotensem, et Elphinensem.

2. Catholici in ea qua longe patet habitantes sunt generaliter valde pauperes neque ullus eorum est dominus vel minimi agri, occupantibus acatholicis totam terram. Quin et omnes Catholici, uno aut altero forte exceptis, coguntur habitare in humilibus et miseris domunculis, sicut et Parochi. Hinc nullus Episcopus ibidem residentiam permanentem in memoria hominum tenuit. Quin et eandem visitanti et peragranti difficile est invenire commodum requiei nocturnae aut refectionis locum.

3. In hac dioecesi non est stabilita ab acatholicis schola ulla pro docendis filiis et filiabus catholicorum principia religionis lutheranae aut calvinianae, quales in pluribus aliis dioecesibus erectae sunt, ita disponente hucusque in favorem nostrum Providentia. Videtur etiam acatholicos non censuisse operae pretium stabilire hic similes scholas, quia non obstante longitudine dioecesis pauci sunt per latos terrae tractus immistosque lacus et steriles colles incolae, adeo ut

* Laurence Richardson, consecrated, May 1, 1747; died, 1753.

aliquando quis possit multa transire milliarum absque occurrente sibi habitatione humana.

4. In hac dioecesi generaliter singulis diebus dominicis in qualibet parochia instruitur populus in catechismo secundum normam Catechismi Romani, prout ordinavit et strictius observari fecit repetitis mandatis et admonitionibus modernus Episcopus.

5. Secundum strictum tenorem receptum fuit hic quoad Matrimonium et observatur Concilium Tridentinum, prout a sexaginta annis et amplius e statutis dioecesis apparet, quae modernus Episcopus explanavit amplius et districtius stabilivit.

6. Per eiusdem moderni Episcopi mandata et curam integre aboleri visa est a duobus annis impia et ethnica consuetudo praeparandi liquorem Spirituosum per modum convivii in funeribus defunctorum, quae in quibusdam huius dioecesis partibus antea omnino vigeat, et ex qua profanationes, ebrietates, paupertas et mors saepe saepius sequebatur.

7. Servatur antiqua huius dioecesis consuetudo ut in quolibet Decanatu Clerus omni mense quo fieri commode possit simul conveniat et tractet de doctrina theologica et de casibus in diversis parochiis occurrentibus per conerentias, quibus ultimo anno ipse Episcopus personaliter praesedit, mensibus Maii, Iunii, Iulii, Septembris, et in iisdem solvi solent difficultates speciales.

8. Opera eiusdem moderni Episcopi factum est ut stabilita fuerit per totam dioecesim Confraternitas SSmi. Nominis IESU contra blasphemias, periuria et illicita iuramenta, virtute Litterarum Apostolicarum, unde multum diminuta est execrabilis profanorum iuramentorum consuetudo, et per indulgentias eidem Confraternitati adnexas increscere visa est Fidelium devotio.

9. Profitetur Episcopus cum tota dioecesi sua et Ecclesia obedientiam omnimodam sicut et amorem erga SSimum. Dnum. omnesque eiusdem Constitutiones, Decreta, et mandata amplectentes, proque eiusdem salute temporali et aeterna orantes illius Paternam Benedictionem prostrati implorant, hac 9 iunii 1750.

Laurentius Episcopus Kilmoriensis.

Ioannes Reilly, I. U. D. Teol. et Vicar. Gener. Kilmoriensis.

Antonius Smith, Pastor de Larrah, Vicarius.

Hugo Brady, Pastor de Killsendeny.

I. Brady, Presbr. Kilmoren.

P. Gaffney Pastor Drumreliensis.

Thomas FitsSimons Pastor de Drumlane.

Petrus Masterson, Pastor de Cavan.

Ioannes Drummond Pastor de Kihalunsi.
 Ioannes Maguire Pastor de Killassar.
 Carolus Thady Pastor de Kildallan.
 Rogerus Maguire Pastor de Kinnally.
 Petrus Brody, Pastor de Carrigallen.
 Vincentius MacLean, Pastor de Outeragh.
 Iacobus Martinus doctor Sorbonicus, Pastor de Fimperl. et Vics.
 Ioannes Prouty Pastor de Killishandra.
 Paulus Thaly Pastor de Castleterra.
 Patritius Sheridan S. Theologiae Professor et Pastor de Oughter-
 aghy.
 Daniel Reilly Pastor de Anna
 Bernardus Cahill Pastor de Killmore.
 Daniel O Muldune Pastor de Balinrample.
 Terentius Brady Pastor de Drung.
 Michael Smith Pastor de Lavy.
 Franciscus Sheridan Pastor de Denn.
 Ioannes Reilly Doctor U. I. Parochus de Crosserlogh.
 Carolus Clancy Pastor de Rosnive et Kilasnal Vices gerens Vicarii
 Generalis in Decanatu de Rosniver.
 Molatius Myhan Pastor de Rossenver.
 Thomas Magauran I. U. D. et Pastor de Killinagh.
 Philippus Magauran Pastor de Glan et Ballanagheragh.
 Carolus Mac Griskin Pastor de Cluniclar.
 Ioannes MacParlan Parochus de Enishmeagh.
 Carolus MacHugh Pastor de Killarga, Dromhore etc.
 Ioannes Flynn Pastor de Clunloger.
 Edmundus Gargan Pastor de Mullagh.
 Bernardus Smith Pastor de Killincare.
 Ioannes Smith Pastor de Lurgan.
 Dyonisius Brady Pastor de Mayboly et Kilmainham.
 Patricius Mac Cabe Pastor de Kockbride.

Copiam hanc concordare de verbo ad verbum cum Literis originali-
 bus, etiam quoad nomina Illmi. Episcopi et Revdorum Parochorum,
 quae ego ipse exscripsi, attestor. Dublinii hac die 4 octobris 1750.

(L. S.) Thomas de Burgo S. Theologiae Doctor et Pro-
 tonotarius Apostolicus.

[Endorsed. SSMUS. DISPENSAVIT EPUM AB ONERE
 VISITANDI.]

OSSORY,* 1769.

STATUS DIOECESIS OSSERIENSIS IN PROVINCIA DUBLINENSIS, IUXTA INSTRUCTIONEM A S. CONGREGATIONE CONCILII A.D. 1725 EMISSAE, SECRETARII EIUSDEM MUNERE TUNC TEMPORIS FUNGENTE FEL. REC. PROSPERO LAMBERTINO ARCHIEPISCOPO THEODENSI POSTMODUM BENEDICTO PAPA XIV UT VIDERE EST IN CALCE PRAECLARI OPERIS "DE SYNODO DIOECESANA" INSCRIPTI A LAUDATO PONTIFICE EDITI.

Modernus porro Episcopus Ossoriensis infrascriptus consecratus fuit die 22 aprilis 1759, adiitque possessionem Ecclesiae Suae die 2 maii proxime sequentis. Quapropter hoc anno 1769 personaliter visitando sacra Limina Apostolorum, statum omni qua par est reverentia porriget dioecesis suae sanctissimo Domino Nostro CLEMENTI Papae XIV feliciter regnanti, ac sacrae Congregationi Concilii post elapsam scilicet unum decennium. Norunt quippe Sanctitas Sua et Eminentissimi Patres indultum fuisse Episcopis Hiberniae a praelibata sacra Congregatione die 10 maii 1631 annuente Summo Pontifice URBANO VIII ut singulis decenniis semel dumtaxat ad eandem visitationem tenerentur Quod indultum adnotatum reperitur in libro XIV decretorum pag 423 ut diserte refert laudatus Benedictus Papa XIV. in memorato opere lib. XIII cap. VI num. IV. Inhaerens igitur Episcopus exponens methodo recensitae Instructionis relationem hanc in novem distribuit paragraphos.

I.

Ut autem ab ovo uti auct incipiat, primus praefatae dioecesis Episcopus fuit sanctus Kiranus, sanctorum omnium qui in Hibernia nati sunt primogenitus, parentibus ethnicis in Ossoria saeculo Ecclesiae quinto ortus. Iuvenis in transmarinas partes profectus Romae christianam religionem amplexus est ibidemque per viginti annorum seriem haesit. Coaevus fuit Sancto Patritio Hibernorum Apostolo Romaeque consecratus Episcopus, et in Hiberniam reversus multos ab Idolorum cultu ad Fidem Christi convertit ac demum figit sedem Saigerae in hodierno Agro Regis; indeque ipse ipsiusque aliquot successores Episcopi Saigerenses nominabantur. Fatis cessit sanctus Kiranus die 5 martii meritis et annis plenus, et quidem usque adeo longaevus ut non desint scriptores qui affirmant eum ad annum aetatis 107 vitam protraxisse.

* Thomas De Burgo, appointed, Jan. 9, 1759; died, 1776.

Circa annum Domini 1052 sedes cathedralis translata fuit Aghavoam in hodierno Agro Reginae et regione Ossoriae ubi templum iam antea constructum fuerat sub invocatione S. Canici, ibique eiusdem sancti Canici scrinium collocatum. Qui sanctus Canicus vir apprime doctus primus fuit abbas Coenobii Aghavoensis, a se constructi, in quo etiam viam universae carnis ingressus est die II octobris A.D. 599.

Ex quo autem fuit translata sedes Aghavoam in regione Ossoriae ut praefertur nomen mutavit in Ossoriensem. Tandem vero circa A.D. 1188 Felix O'Delany ex monacho Cisterciensi Episcopus Ossoriensis cathedralem sedem transtulit Kilkenniam ubi retinuit quidem Ossoriensis nomen, quandoque tamen in Historiis est appellata Eyrupolensis ac Eyro nimirum flumine vulgo Neoro quod Kilkennensem civitatem alluit.

Caeterum Kilkennia denominationem sumit a laudato S. Canico vernacule Kenny, quippe Kil hibernice idem est ac ecclesia seu templum latine, qua de causa a multis scriptoribus Fanum Canici, a pluribus vero Canicopolis vocatur.

Ex dicto autem tempore Ecclesia Cathedralis in honorem sancti Canici eo loci aedificari coepit, quae tandem evasit spatiosa valde nec minus speciosa, atque inter omnes totius Hiberniae Ecclesias vix non pulcherrima, nunc acatholicorum praeda. Rem hanc fusiori calamo narrat Episcopus exponens in libro quem iuris publici fecit A.D. 1762 cui titulus *Hibernia Dominicana*, cap IX § III.

Ad ecclesiam cathedralem quinque spectant dignitarii, nempe Decanus Praeceptor Cancellarius Thesaurarius et Archidiaconus; necnon septem Canonici seu Praebendarii. Eorum redditus potiuntur dignitarii et canonici protestantes.

Nulla est civitas vere et proprie dicta in dioecesi hac nisi Kilkennia superius memorata. Sunt tamen in ea sex municipia seu oppida sociata sive corporata; quae passim Burgi Parlamentarii vocantur quatenus in eorum singulis (non secus ac Kilkenniae) duo eliguntur Senatores pro Generalibus Regni Comitibus, quod Angli Parlamentum vocant. Eorum nomina sunt, in primis Burgus s. Canici, qui a Kilkennensi urbe nonnisi per rivulum seiungitur fluentem sub pontem super quem domus conspiciuntur habitatae. Alia quinque oppida sociata sive corporata, sunt Callan, Innistioge, Gowran, Knochtopher et Thomopolis anglice Thomastown. Sunt insuper alia oppida sive castella allodialia uti Balliragget, Durrow, Rathdowny, Donoghmore, Agaboe, Castlecomber, Clogh, Urlingford, Freshford, et Rosbercan, ut pagos praetermittam.

Ossoriensis dioecesis conterminas sibi habet dioeceses Leigh-

linensem (Kildariensi unitam) et Fernensem in eadem Provincia Dublinensi; necnon archidioecesim Cassiliensem, ac dioeceses Waterfordiensem (Lismorensi unitam) et Laonensem in memorata Casselensi provincia, item dioecesim Midensem in Provincia Armachana.

Dioecesis ista Ossoriensis est longitudinis 63 milliarium, latitudinis vero 18 milliarium in quibusdam partibus, ut plurimum autem nonnisi 12 milliarium. Hic autem loci sermo est semper de milliariibus hibernicis, non quidem computatis, ut vocant, sed recenter mensuratis (lapidibus nimirum per viam patentibus) quorum duo faciunt tria milliaria italica. Episcopus porro exponens probe novit differentiam, in Italiae quippe partibus, potissimum Romae, per viginti annorum seriem commoratus est.

In eadem dioecesi Ossoriensi sunt parochiae antiquae 152 sed propter uniones temporibus calamitosis factas, non sunt nisi 29 parochi, qui alios non habent redditus, nisi puras putasque eleemosynas fidelium.

In ea quoque dioecesi olim fuere sex coenobia Canoniorum Regularium S Augustini, nempe Kilkenniae, Fiddown, Kilmanagh, Kells, Innistioge et Fernageragh. Triaque Monachorum Cisterciensium S Bernardi, nempe apud Douskam, vulgo Graige-ne-Managh, apud Jerpontem et apud Killenniam, diversam plane a Kilkennia.

Erant insuper sex coenobia fratrum Mendicantium, nempe tria Ordinis Praedicatorum, unum scilicet apud Kilkenniam, aliud apud Rosbercanam, et aliud apud Aghavoam. Item unum Ordinis Minorum, nempe apud Kilkenniam; unumque Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, apud Callanam; atque unum Beatae Virginis de Monte Carmelo apud Koctophoram.

Unicum fuit in universa dioecesi Monasterium Monialium Ordinis nimirum Canonissarum S. Augustini, et quidem apud Kilclehin, alias Portum Bellum in finibus dioecesis, sedet namque ad Surium fluvium e regione urbis Waterfordiensis.

Quoad reliqua in primo praefatae instructionis paragrapho delineata, heu nihil dicendum occurrit neque occurret, dum heterodoxa religio apud nos regnat, ut consideranti patebit. Idem esto iudicium de ceteris Instructionis punctis posthac omittendis.

II.

Episcopus exponens residentiam adeo stricte adimplet ut neque per integrum mensem conciliarem singulis annis absit et quando per exiguum illud tempus abest, plerumque in metropolitana urbe Dubliniensi nativa versatur negotiorum causa, potissimum suae propriae

dioecesis, visitationem integrae dioecesis, etiam parochialem per seipsum peragit semel quolibet anno.

Sacramentum confirmationis iugiter administrat in Urbe Kilkennia in loco scilicet suae residentiae et insuper in visitatione annuali dioecesis. Anno superiore confirmavit ultra decem millia, atque in prima ab eo facta visitatione Anno Domini 1759 confirmavit usque ad viginti millia, eo quod per plures antecedentes annos haud paucis in parochiis sacramentum hoc administratum fuerit.

Per seipsum fecit ordinationes quinque in dioecesi sua Ossoriensi, quibus ad omnes ordines promovit ex dioecesanis suis tres singulis vicibus, nisi hoc anno 1759 in quo duos dumtaxat ordinavit, taliter quod omnes ab eo ordinati sunt numero quatuordecim, et quidem iuvenes haud inferioris notae, quorum unus Pariisis nuper donatus est.

Sex quoque alii sacerdotes hoc decennio mortui sunt in exteris regionibus, octodecim vero in dioecesi qua parochi et qua coadiutores et vicarii; insuper alii duo parochi etiamnum viventes, ob senectam et senium renunciaverunt. Et benedicente Domino adhuc supersunt postulantes pro sacris Ordinibus, quamquam multo pauciores quam praeteritis annis antea, et sane propter causam inferius assignandam § IV, defervescente siquidem devotione fidelium defervescit quoque animus militandi Deo. Hinc in nonnullis aliis dioecesibus haud videre est similes postulantes, unde vehementer timendum est, quod paulatim talis erit in hoc Regno penuria Missionariorum qualis nunc deploratur in Scotia.

Denique Episcopus exponens per seipsum verbum Dei frequenter praedicat et impraetermisse in die Parasceves.

III.

Parochi singuli suis in Parochiis resident. Diebus dominicis et festis plerumque rudimenta fidei exponunt populo, multique reapse praedicant. Missas pro populo sibi commisso diebus recensitis applicare non omittunt.

Pauci eorum libros habebant ad registranda baptismata et matrimonia donec modernus episcopus sub poenarum comminatione eos ad id adegerit.

Decretum sacrosancti Concilii Tridentini (sess. 24 de ref. cap. 1) irritans matrimonia clandestina, numquam publicatum fuit in dioecesi Ossoriensi, neque prudenter publicandum fore in praesentibus rerum circumstantiis existimat Episcopus Ossoriensis exponens salvo meliori

iudicio. Enimvero iuxta civiles regni Hiberniae leges matrimonium clandestinum inter contrahentes catholicos validum est. Hinc si post quadraginta dies a publicatione praelibati decreti in dioecesi Ossoriensi Titius catholicus clandestine duceret Bertam pariter catholicam, et postmodum, invalido declarato isto matrimonio per Episcopum catholicum, Titius transiret ad secundas nuptias cum Caia, posset Berta Titium accusare de bigamia, Titiusque qua reus capitali sententia vel perpetuo exilio puniretur, sicut et parochus aliisque sacerdos qui secundas nuptias benedixisset, atque Episcopus etiam qui primum matrimonium declaraverit nullum.

IV.

Pauca possunt dici de Regularibus huius dioecesis quia nuperis annis pauci sunt, tres nimirum Dominicani (quorum duo praeversa valetudine laboribus missionis impares sunt), duo Franciscani, unus Augustinianus, unusque Carmelita, necnon duo Capuccini, etsi messis sit multa. Indeque sequitur quod gens devota nequit, ut prius, singulis mensibus, multo minus bis in mense, sacramenta poenitentiae et Eucharistiae recipere cum indulgentiis apud sodalitates dictorum Ordinum lucrantis. Immo vix et ne vix quidem memorata sacramenta recipere possunt Paschali et Natalitio temporibus; unus quippe sacerdos parochialis cum uno Vicario ad effectum illum non sufficit, multo minus dum parochus agit sine Vicario, ut videre est in plerisque districtibus etsi haud parum extensis, plures utpote comprehendentibus parochias ut ex iam dictis § I liquet. Accedit quod duplex ille velut unus sacerdos, dum confessionibus incumbit saepenumero accersitur ad Moribundos pluribus milliariibus distantes. Et quid quaeso dicendum, dum ipsemet sacerdos infirmatur? Uno verbo christifideles raro sacramenta suscipiunt, defectu regularium, ut nihil dicam de indulgentiis. Hinc apposite profecto in medium afferri poterunt verba Evangelii Messis quidem multa operarii autem pauci; rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam! Enimvero populosa valde est dioecesis ista in qua novem ad minus sunt orthodoxi pro uno eterodoxo quoad urbem Kilkenniensem, quoad reliquam vero dioecesim quindecim circiter orthodoxi sunt pro uno heterodoxo. Ceterum penuria haec operariorum incepit crescitque ab anno Domini 1751, quo prodiit decretum S. Congregationis de Propaganda Fide prohibens receptionem novitiorum in Hibernia, quod reverenter ut par est expendit episcopus exponens in praefata sua opella pag. 181.

V.

Nulla est Monialis in universa dioecesi hac Osseriensi; unicum quippe in ea fundatum Monasterium praelibatum in calamitosis temporibus dudum fuit extinctum.

VI.

Quandoquidem protestantes apud nos regnent, hic adesse nequeunt seminaria catholica. In scholis nihilosecius privatis instruuntur pueri et iuvenes catholici utriusque sexus in rudimentis fidei et morum pro rerum conditionibus, in quantum scilicet fieri poterit absque offensa gubernii et cleri acatholici.

VII.

Ob causam mox assignatam non sunt onera Missarum neque Montes Pietatis adsunt, tamen in civitate Kilkenniensi tria nosocomia pauperum apud quorum unum duo habitant Patres Capuccini in capella eisdem adnexa administrantes.

VIII.

Quod ad mores populi attinet, id sane observatu dignum est, quod, generaliter loquendo pietate non proficit, ut ex antea dictis § IV satis clare constat: rarius namque ad sacramenta accedit ob causam ibidem assignatam. Et, quod malorum summum est et summa, hisce nuperis annis plusquam umquam religionem protestanticam per universum qua late patet regnum amplectitur.

Neque abs re erit addere, quod in prima dioecesis visitatione Episcopus modernus plura deprehendit conventicula Liberorum Muratorum ut vulgus loquitur, in quibus catholici haud pauci permixti erant cum protestantibus. In catholicos proinde acriter animadvertit Episcopus, quod usque adeo ceteros offendit, ut eorum Primarii, opibus sane et dignitatibus potentes, carcerem et exsilium Episcopo per literas minati sint nisi desisteret. Verum aliorum Magnatum fretus autoritate, illaesus permansit et conventicula singula, etiam quoad Protestantem, in tota dioecesi disrupta sunt usque in hodiernum diem. Et sane, ut obiter dicem, Episcopi a Gubernio tolerantur (etsi a haud legali toleratione) nisi rebus criminalibus aut politicis, contra Regem, vel ordinis regni sese immisceant.

Neque etiam addidisse pigebit, quod ante quinque abhinc annos, dum in Provincia Casselensi (dioecesi huic contigua) insurrectiones essent homuncionum quorundam, qui Albos Pueros anglice *White*

Boys appellari affectabant, viderenturque insurrectiones istae Magistratibus rebelliones contra Gubernium stabilitum regni, quamquam revera non essent, ut postmodum luce meridiana clarius compertum est, tametsi interea temporis, die scilicet 15 martii 1766, ea de causa parochus quidam dioecesis Lismorensis, nomine Nicolaus Sheehy, tunc suspensus fuerit et in quatuor partes dissectus, cuius caput palo affixum etiamnum conspicitur supra portam oppidi Clonmellensis in terrorem. Dum inquam insurrectiones illae essent in contermina provincia Casselensi, incipiebant homuncionibus istis sese aggregare nonnulli populares dioecesis Ossoriensis, idcirco Episcopus, monitus etiam a Senatoribus et magistratibus, comminatoriam contra eos dedit epistolam encyclicam die prima novembris 1764 de mandato suo in singulis promulgatam cappellis universae dioecesis tribus dominicis sub Missa. Quae epistola fuit statim, inscio Episcopo, typis impressa in publicis Gazettis Hiberniae et dein Angliae, desideratumque habuit effectum, gratias subinde Episcopo rependentibus Senatoribus, Magistratibus, aliisque Protestantibus.

IX.

Tandem Episcopus exponens indesinenter vestigia premens saepe laudatae instructionis, quam humillime supplicat Sanctissimo Domino Nostro et Eminentissimis Patribus, quatenus dignentur benignas praebere aures atque annuere sequentibus precibus :

Referunt catholici et acatholici Ossorienses, etiamnum viventes, qualiter a sexaginta annis et ultra lites et contentiones fuerint in civitate episcopali Kilkenniensi, non sine ingenti omnium scandalo, de parochia S. Mariae in praelibata civitate, quam parochiam Episcopus exponens habet in commendam a sancta Sede Apostolica, duoque ante ipsum alii Episcopi intra praefatam temporis seriem habuerunt. Recensitae porro lites et contentiones protractae fuerunt usque ad nuperos annos sub regimine Episcopi exponentis, ut optime novit SSmus. Dominus Noster qua olim Cardinalis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide. Idcirco Episcopus consulens paci et tranquillitati futurae dictae civitatis immo et universae dioecesis suae, quam enixe deprecatur Sanctitatem Suam, ut praefatam S. Mariae Parochiam in civitate Kilkenniensi in perpetuum uniat dioecesi Ossoriensi (nulla tamen facta mutatione super concordato sive dispositione eiusdem parochiae iuxta decretum S. Congregationis de Propaganda Fide sub finem dictae litis A.D. 1766 durante vita sacerdotis Patritii Molloy, vicarii perpetui saepe dictae Parochiae) tum ad praecavendas semel lites et contentiones ; tum ut Episcopus pro tempore statum suum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam tenere

valeat. Ex dioecesi quippe vix percipit annuatim ultra centum scuta romana.

2° Insuper regimen dioecesis magnopere turbatum fuit tempore Episcopi supplicantis propter appellationes frivolas tantopere acceptatas ab Illmo. Metropolitano suo Dublinensi, ita ut tandem adactus fuerit protestationem mittere ad S. Congregationem de Propaganda Fide contra dictum Metropolitanum in qua eundem archiepiscopum memorem reddit aureorum Eminentissimi quondam Cardinalis Petra eiusdem S. Congregationis Praefecti, verborum nempe quod tametsi Metropolitanus Hiberniae existiment se prorsus exui metropolitana iurisdictione nisi dyscolos sacerdotes ad eos appellantes protegant contra suos Episcopos, melius tamen potestatem illam exercerent et ostenderent cogendo dictos sacerdotes ut suis obediant Episcopis. Laudatus porro Cardinalis iussit Episcopo supplicanti ab Urbe in Hiberniam discessuro (tunc haud Episcopo) ut rem hanc archiepiscopis quos videret significaret, prout reapse praestitit, singulos quippe archipraesules temporis progressu vidit.

3° Quandoquidem S. Congregatio de Propaganda Fide decreverit ut episcopi Hiberniae non promoveant ad sacros ordines nisi duodecim durante uniuscuiusque Episcopi vita, nullo habito respectu ad amplitudinem dioecesis aut aetatem Episcopi, hinc Episcopus orator supplicat Sanctitati Suae quatenus concedere dignetur ut tot ordinare possit quot iudicaverit necessarios pro successione sacerdotum praeservanda.

4° Episcopus supplicans summopere optaret mittere suos neosacerdotes dioecesanos ad Hispaniarum regnum pro litterarum studiis ad collegia extranationalia peragendis. Sed quoniam ob suppressionem Societatis IESU in praelibato regno tria collegia extraterritorialia Salmantinum nempe, Compostellanum et Hispanense sunt nuperrime redacta in unum, scilicet Salmantinum, supplicat hinc Sanctitati Suae Episcopus Orator quatenus benigne dignetur literas desuper dare ad Regem Catholicum ut Collegium istud Salmantinum tot alere valeat alumnos quot tria recensita Collegia alere solebant iuxta primaevam eorum foundationem.

Romae die 1 Novembris 1769

Fr. Thomas de Burgo Ord. Praed.

Episcopus Ossoriensis.

[*Endorsed.* SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO CLEMENTI
PAPAE XIV & SACRAE CONGREGATIONI CONCILII.
STATUS DIOECESIS OSSORIENSIS IN PROVINCIA
DUBLINIENSI HIBERNIAE. A.D. 1769.]

ELPHIN,* 1770.

Beatissime Pater,

Fr. Carolus O Kelly nomine Iacobi O Fallon Episcopi Elphinensis in Hybernia humillime exponit, quod die 10 maii 1631 ut adnotatum reperitur in Libro Decretorum XIV pag. 422 indultum fuerit Episcopis Hyberniae visitare sacra Apostolorum Limina et relationem exhibere status suarum respective dioecesium nonnisi singulis decennis, quod quantum scire licet non praestiterunt a multis retro annis, gravissimarum rerum quibus frequentur opprimebantur causa. Sed nunc cessatis gravioribus illis persecutionibus non est cur praecipuas visitationem et relationem non expleant, non, ut quidam Praelati istius Regni opinantur per recursum ad S. Sedem pro facultatibus missionem concernentibus, ut facere solent statutis temporibus, sed ad ipsam Concilii Congregationem, ad normam praescriptam a san. mem. Benedicto XIV in sua constitutione quae incipit *Decet Romanum Pontificem* quaeque sixtinam *Romanus Pontifex* confirmat. Hinc praefatus Iacobus episcopus qui sanctissima hac lege se astrictum reputat, quique anno proxime elapso suae promotionis ad episcopatum decimo, omisit praelibatum explere debitum, humillime supplicat quatenus Sanctitas Vestra benigne velit eum absolvere a quavis censura inde incurta et insuper plus temporis ad finem nempe anni 1770 concedere ad effectum melius informandi de vero statu suae dioecesis et simul visitandi sacra limina vel per se vel per alium a se deputatum.

Et pro gratia, etc.

Endorsed. ELFINEN IN HIBERNIA V S L. SSMUS.
ANNUIT CUM ABSOLUTIONE. *Die 30 septembris 1767 :*
Praevia absoluti, ad totum annum 1770.]

STATUS ECCLESIAE ELPHINENSIS PROVINCIAE TUAMENSIS IN HIBERNIA
AD NORMAM INSTRUCTIONUM SA. ME. BENEDICTI XIV EXHIBENDUS
SAC. CONGNI CONCILII PER MAGISTRUM CAROLUM O KELLY ORD.
PRAEDICATORUM, AD HOC, DEFECTU ALTERIUS MAGIS IDONEI,
DEPUTATUM NOMINE IACOBI O' FALLON PRAEFATAE ECCLESIAE
MODERNI EPISCOPI.

Ecclesia Elphinensis in agro Roscomaniensi sita fundata fuit a
S. Patricio, glorioso Hiberniae Apostolo, circa annum 450. Eius

* James O'Fallon, appointed August 14, 1756 ; died, 1786.

primus ex Canonico Regulari Episcopus fuit S. Asicus cuius festivitas celebratur die 27 aprilis. Usque ab initio ipsa dioecesis Elphinensis admodum exigua fuit, propterea quod in eodem agro et circa idem tempus tres aliae Ecclesiae fundatae fuerunt nimirum Roscomaniensis, Ardcarvensis et Drumclivensis, quae postea (ignoratur quo praecise saeculo) unitae fuerunt Elphinensi, unde satis ampla evasit. Certum tamen est huiusmodi uniones factas fuisse ante saeculum undecimum. A meridie (ubi adtingit dioecesim Clonfertensem, etiam Provinciae Tuamensis) ad septentrionem (ubi conterminam habet Kilmorensem, provinciae Armachanae) est longitudinis circiter 60 milliarium. Latitudinis vero ab Oriente (ubi abluitur magno Senennii flumine) ad Occidentem (ubi sitae sunt Tuamensis, Achadensis, Aladensis, et Duacensis) tantum 15 et in extremitatibus minus.

Tria habet ista dioecesis oppida Athlone, Roscomon, et Sligoe; oppidula quatuor, in quorum numero recensetur ipsa civitas Elphynensis, quae pagus verius nominetur, in quo nihil notatu dignum praeter Ecclesiam cathedralem proximis his annis erectam et Protestantis Episcopi Palatium, satis amplum quidem ac situs amoenitate laudandum. In recensitis autem oppidis atque oppidulis nec non in omnibus pagis totius dioecesis sic se habet catholicorum numerus in comparatione ad protestantium sicut triginta ad unum. Siquidem ex plebe paucissimi sunt, qui religionem profitentur protestanticam, quin imo non pauci eorum qui nobiles habentur quique temporalis lucri causa avitam abdicarunt religionem, instante morte ad veram revertuntur Fidem. Dignitarii huius Ecclesiae sunt Decanus, Archidiaconus, et Praecentor suntque sexdecim canonici non choro sed parochiis inservientes. Tam isti quam Dignitarii nullis potiuntur redditibus, iis exceptis, qui ex parochiarum suarum respective administratione accipiunt veluti laboris stipendium. Etsi septuaginta septem parochiae numerentur in hac dioecesi nonnisi quadraginta quinque sunt Parochi quorum duodecim indigent Vicarii perpetui auxilio. Oportebat enim aliquas facere parochiarum uniones ob tenuitatem reddituum singularum. Sed in qualibet unione duo sunt sacella sacris suppellectilibus nitidis quidem, sed non pretiosis instructa. Calices ut plurimum ex stanno conflati sunt.

Sex sunt in hac dioecesi Religiosorum Mendicantium domus. Quatuor Ordinis S. Dominici, una Minorum S. Francisci, una Carmelitarum Calceatorum et una Eremitarum S. Augustini. Soror Susanna O Fallon incoepit fundare domum pro Monialibus sui Ordinis in oppido de Athlone, sed ea mortua a 22 annis, ne vestigium quidem istius foundationis nunc exstat, neque alia ulla est in hac dioecesi Monialium domus.

Ad ipsum Episcopum exponentem quod attinet, Praeceptum residentiae stricte ac religiose adimplet, curatque ut Vicarii Generalis et Foranei invigilent clero per quinque Decanatus distributo, quos Decanatus ipse quotannis personaliter visitat et singularum parochiarum statum ab unoquoque parochio exposcit. Deinde vero aliquas parochias particulariter quolibet anno perlustrat, in quibus parvulos et rudiores homines circa fidei rudimenta interrogat. Concionones ad captum audientium accommodatas habet, et Confirmationis sacramentum administrat, Deo ei tribuente vires ad haec omnia per se ipsum perficienda.

Multa sunt quae dioecesanam cogere Synodum vetant. Dioecesis amplitudo, parochorum paupertas, nulla diversoria ubi tam frequens concursus hospitio excipi possit, cum relata oppida in dioecesis extremitatibus posita sint, et etsi in medio sita essent, illuc convenire nec prudens nec tutum foret: tot quippe clericorum coetus Magistratibus invidiam ac suspicionem forte moveret et si pro insito in nos odio leges exsequi vellent, nos omnes simul quasi superinducto rete capere et proscribere liberum foret. Interim, ea quae in generalibus Comitibus statuere nefas est, in Congressibus decanatum superius relatorum quotannis statuuntur.

Ad coercendam nimiam proclivitatem petendi dispensationes matrimoniales mulctae pecuniariae pro personarum qualitate exiguntur non in proprium quidem (absit) commodum, sed ad subveniendum pauperum necessitatibus, vel ad promovendum pium aliquod opus, quod omnes adeo perspectum habent ut nulla omnino cupiditatis aut avaritiae huc usque orta fuerit ex hoc capite suspicio. Nulla alia pecuniaria praeter recensitam mulcta imponitur.

Omnes parochi in suis parochiis resident, uno tantum excepto, qui tribus abhinc annis relictis ovibus et inconsulto episcopo exponente, ad Indias Occidentales se transtulit Missioni illarum Regionum adlaboraturus. Qua de causa eius parochia de iure vacans alteri collata fuit. Alter parochus impetrata licentia in Galliam profectus est, ubi diutius quam par esset remansit, sed sine culpa; siquidem adulta hieme navim conscendere non potuit sine manifesto vitae periculo.

Librum matrimonii, baptizatorum, et mortuorum a nuperis annis Parochi retinent. Haud facile tamen erat eos ad huiusmodi Ritualis Romani observantiam adducere; enimvero timebant ne, dato aliquando persecutionis signo, id genus libri palmare et irrefragabile praestarent in eos testimonium sacrae administrationis. Nec sane dicendum est quod timuerint ubi non erat timor omnino; etsi enim omnia in praesentiarum quiescunt et tranquilla sint, quo tamen tempore

tempestas et procellae ingruant, quis dicere potest? Quid igitur momenti sit in illo parochorum argumento, Eminentissimis Patribus pensandum relinquitur.

Episcopus exponens in visitatione parochiali haud paucos offendit non modo pueros, sed etiam senes, qui prima Fidei elementa penitus ignorabant. Pastores nihilominus oscitantiae insimulare non potuit, cum multos alios bene instructos reperisset. Ipsi pastores huius ignorantiae causam aperuerunt adserentes bonos et timoratos aures libenter praeberere catechismo, quem exponere solent diebus dominicis ante vel post Missam; malos autem et ignavos, saluberrimum cibum fastidentes, non nisi solam Missam audire, minime vero catechismum, propterea quod dum ante Missam exponitur, Cappellam non ingrediuntur et finita Missa, non expectato Catechismo, statim discedunt. Quapropter ne illis locus se subtrahendi in posterum concedatur, parochis sub gravi iniunctum fuit, ut immediate post primum Missae evangelium pueros per breve tempus Fidei rudimenta doceant, et deinde per sesqui horam robustos in fide, solidiori cibo concionando vel exhortando vel Evangelium diei explicando pascant. Insuper parochis omnibus graviter iniunctum fuit, nullos matrimonio iungere, aut paternos pro baptisate admittere, nisi inveniantur instructi in iis Fidei articulis quos omnes christiani necessario scire debent. Neque praetermittit Episcopus exponens Parochos in visitatione generali interrogare, an recensitis iniunctionibus obtemperaverint et quo fructu? Respondent in Verbo sacerdotis adfirmantes uberrimum inde se collegisse.

Parochi ceterique curam animarum gerentes singulis Dominicis festisque de praecepto Missam adplicant pro populo suae curae commisso. Conferentiae quoque habentur in singulis decanatibus quolibet mense a primo vero usque ad septembrem inclusive: in istis conferentiis agitur de currentis Evangelii expositione, de iis Fidei controversiis quae nos inter et acatholicos discutiuntur, de Theologia morali et de dubiis in praxi occurrentibus. Istis conferentiis intersunt omnes Curam animarum habentes summo cum fructu singulorum atque profectu. Nihil contra cleri mores dicendum occurrit; siquid pauci rarissimo deliquerint, salutaribus Ordinarii admonitionibus morem gerunt. Regulares qui curam animarum habent non secus ac clerus saecularis, bene se gerunt et munus sibi commissum laudabiliter et fideliter adimplent.

Viget ubique impia et execrabilis iurandi consuetudo, ad quam eliminandam (ruri ubi populus pro maiori parte paulatim degit, Sodalitates conflare aut poenae pecuniariae infligi nequeunt) Parochis districte mandatum fuit ut prima cuiuslibet mensis dominica in

illud graviter invehantur, suadeantque populo ut pactum inter se ineant, quatenus alter alterum iurantem audiens, ipsum iurantem cum lenitate et charitate de iuramento moneret, rogaretque ut sibi caveret in posterum. Parochi etiam in hac parte prompte obedierunt et iam permulti ex populo ipsum pactum inierunt ac religiose servant. Interea temporis is, qui illud caritatis opus aegre fert et iurandi consuetudinem retinet, a Parocho monetur ne ad poenitentiae sacramentum, ante manifesta resipiscentiae verae indicia, audeat accedere. Ut autem magis magisque istud pium opus promoveatur, Episcopus exponens concessit Indulgentiam 40 dierum tum admonentibus tum admonitis toties quoties; quam tamen admoniti lucrari non poterunt nisi statim atque monentur resipiscentiae edant signum; et haec agendi ratio multum profuit et prodest.

Aliud quoque est, nimirum quod non pauci ex divitibus catholicis praetextu adversae valetudinis, inconsulto Medico, carnibus sabbati, multisque ieiunii diebus, vescuntur et quamvis iste casus inter reservatos Ordinario recenseatur, adhuc tamen crimen inolescit.

Est et aliud tamen, cuius remedium a sola Sanctae Sedis pietate dependet. Illud est quod Benedictus XIV fel. rec. licentiam concesserit vacandi operibus servilibus in quibusdam festis diebus, sed cum clausula *audita tamen Missa*; quae quidem clausula in hac dioecesi nec servatur nec servari potest. Siquidem Ruricolae pro maiori parta suas habent habitationes tribus vel quatuor milliaribus distantes a sacello ubi celebratur Missa parochialis. In hoc spatio percurrendo magna pars diei insumitur, in reliqua autem eiusdem diei parte nihil fere ex labore lucrari possunt, eo quod nec protestantes nec catholici domini eos ad laborandum conducunt pro illo tantum tempore quod supersit post auditam Missam. Hinc recensita clausula non servatur, dum in diebus festis ubique laboratur; unde evenit ut Parochus in hisce diebus solus in sacello haereat, donec unus aut alter adveniat qui Missae inserviat.

Episcopus exponens vehementer optat, et humillime supplicat EE. PP. Sacrae Congregationis quatenus velint tanto malo opportunum afferre remedium, quod non modo sibi sed omnibus etiam Praesulibus huius Regni gratissimum erit.

Si ei fas esset sensum suum hac super re aperire existimaret profecto melius esse et fore praefatos festos transferre in Dominicam proxime sequentem, propterea quod inde triplex exurgeret commodum: primum, stimulus conscientiae ob Missam non auditam requiesceret; secundum, debitus festivitati impenderetur honos; tertium, duplex praeceptum abstinentiae et ieiunii cadens in sabbatum, ad sui observantiam fortius impelleret memoratos divites

catholicos, qui in sabbato vescuntur carnibus, ut praefertur. Verum istas observationes quemadmodum et cetera omnia huc usque exposita, perspicacissimo Emorum. Patrum iudicio, correctioni, censurae Episcopus exponens totus venerabundus et in sanctam Sedem adfectuosissimus, filiali obsequio lubens subiicit, et Benedictionem Vicarii Christi IESU flexis genibus etiam atque etiam rogat, petit, flagitat.

Mantuae prope Elphennam die 20 ianuarii 1770.

Jacobus O Fallon Episcopus
Elphinensis in Hibernia.

[*Endorsed.* ELPHINEN IN HIBERNIA VV. SS. LL. SATATUS
ECCLESIAE ELPHINENSIS IN HIBERNIA ANNO 1770.]

TUAM,* 1770.

STATUS ECCLESIAE ARCHIEPISCOPALIS TUAMENSIS PRAESENTANDUS
SACRAE CONGREGATIONI CONCILII PRO EPISCOPIS PRIMATIBUS
ET PATRIARCHIS IUXTA FORMAM A SANCTITATE SUA BENEDICTO
XIII BONAE MEMORIAE PRAESCRIPTAM NOMINE ARCHIEPISCOPI
TUAMENSIS PER PROCURATOREM SUUM REVDUM. PATREM MAGIS-
TRUM FR. CAROLUM O KELLY ORDINIS PRAEDICATORUM AD HOC
ET OMNIA ALIA NEGOTIA NOMINE DICTI ARCHIEPISCOPI PER-
TRACTANDA DEPUTATUM.

AD PRIMUM CAPUT.

1. Archiepiscopus Tuamensis collocatus est in medio omnium suffraganeorum.
2. Habet oppidum unum ubi cathedralis sita est et tres villas exiguae notae.
3. Metropolitana Ecclesia habet Decanum, Archidiaconum, Cancellarium et octo Canonicos qui Capitulum constituunt, omnes nomine-tenus, sine fructibus vel redditibus; defectu reddituum nulla datur Praebenda Theologalis nec Poenitentiarum.

* Mark Skerrett, translated from Killala, May 5, 1749.

4. Nulla datur Collegiata in tota dioecesi, excepta Galviensi quae habet sua privilegia et exemptiones.

5. Dioecesis Tuamensis habet quadraginta septem Parochos, plurimi eorum adeo pauperes ut cathedraticum et procurationem solvere nequeant.

6. Monasteria virorum S. Augustini quinque, S. Francisci unum, S. Dominici unum; monialium nullum; omnes subiecti suis Prae-latis respective Regularibus.

AD SECUNDUM CAPUT.

1. Archiepiscopus residet iuxta sacrorum Canonum praescriptum.

2. Dioecesim sibi commissam annuatim visitat.

3. Per se sacros Ordines confert et sacramentum Confirmationis administrat.

4. Tres synodos Provinciales habuit, quibus interfuerunt omnes suffraganei per se, vel per suos Procuratores qui legitime detenti fuerant; unam dioecesanam coegit, cum vix congregari possint. Omnia in his agendis regulariter tractantur in visitatione quae annuatim fit per decanatus rurales.

5. Verbum Dei olim per se praedicavit, sed nunc fractus viribus non potest; hic et nunc quando inveniri possunt, assumit viros idoneos ad huiusmodi praedicationis officium salubriter exequendum.

6. Mulcta ab eo pro dispensationibus imposita ad pios usus et pauperibus usque ad ultimum quadrantem applicantur.

DE III CAPITE AD CLERUM SAECULAREM PERTINENTI.

1. Omnes Parochi huius dioecesis in suis parochiis resident.

2. Quidam retinent libros iuxta normam Ritualis Romani; quidam non, propter gravia inconvenientia ex eorum retentione orta vel probabiliter oriunda.

3. Qui senio vel infirmitate laborant instanter petunt Coadiutorem ut sacramenta populo administrent.

4. Omnes parochi huius dioecesis omnibus diebus dominicis et festis catechizant plebem sibi commissam et pascunt salutaribus verbis per se vel per alium, sed communiter per se.

5. Exhortationes habent hic et nunc ad populum, praesertim tempore quadragesimae et adventus, quibus monita salutis dis-

tribuunt et populum disponunt ad sacramenta digne ac devote suscipienda.

6. Omnes parochi singulis dominicis et festis diebus Missam applicant pro populo eorum curae commisso.

7. Omnes parochi conveniunt in suis respective decanatibus ruralibus semel in mense per sex menses ubi tractare tenentur de Historia ecclesiastica, de haeresibus ortis in tali centuria incipiendo a prima, et quomodo et a quibus profligata; reliquum temporis in casibus conscientiae solvendis quae pertinent ad materiam de qua tractatur, et qui abfuerit si non probaverit se legitime impeditum mulctatur media corona pauperibus eroganda. Regulares qui in dictis Decanatibus degunt, praesertimque confessarii, admonentur dictis conferentiis adsistere, quod aliquando faciunt.

8. Magis morigeratos et pios sacerdotes vix desiderare quis possit cum hisce plusquam viginti annis quibus his praeeo nullum canonicum crimen prolatum fuit contra aliquem eorum, Deo optimo maximo singulares gratias.

DE OCTAVO CAPITE AD POPULUM PERTINENTE.

Mores populi varii sunt, quod semper evenit ubi non est unum ovile. Divites et opulenti appetentes ollas Aegypti et praesentis vitae commoda proh dolor! quotidie a Fide deficient, quod solus Deus avertere potest; sed pauperes revertuntur in aequali ad minus numero, quod est unicum solamen quod in hac lacrymarum valle habemus.

Haec sunt quae significanda se offerunt de statu Ecclesiae Tuamensis; hunc statum remitterem iuxta praescriptum Ritualis si praelati qui diu in Curia vixerunt mihi non dixissent quod habens Agentem in Curia haec iudicabatur obligatio in Curia adimpleta supplicando pro renovatione facultatum. Praeterea quod ad haec postulata responsa data sunt in responsione ad Quodlibetas a S. Congregatione de Propaganda Fide variis temporibus ad nos transmissas. Si ignoranter deliqui suppliciter ab EE.VV. veniam postulo; Deus omnipotens conservet Eminntias Vras et det Eis spiritum iudicandi quae recta sunt et agendi; et mihi patientiam tolerandi, fortitudinem resistendi, et constantiam perseverandi, qui cum omni reverentia subscribur. EE.DD.VV. humilimus et obedientissimus famulus.

Marcus Arp. Tuamensis.

Ianrii 9, 1770.

KILLALA*, 1771.

STATUS ECCLESIAE ALLADENSIS IN HIBERNIA.

1. Etsi nondum elapsum sit Decennium, quod concessum est Episcopis Hiberniae, ad sacra visitanda Limina, Episcopus exponens consentaneum duxit Visitationem adeo salutarem potius anticipare quam postponere, maxime quod ipsi non constet quemquam ex suis Praedecessoribus ab immemorabili eiusdem obligationem adimplevisse, non quidem, ut fas est credere, culpabiliter, sed quod fuerint vel morte praerepti ante statutum pro adimplerione huius praecepti tempus, vel ob haereticorum persecutionem impediti vel verosimiliter, quod existimaverint sufficere communicationem cum sacra Congregatione de Propaganda Fide, minime distinguentes inter ea quae proprie Missionem spectant et quae Episcopatum concernunt.

2. Ecclesia igitur Alladensis, ut habetur scriptum in vita sancti Patritii Hiberniae Apostoli, fundata fuit ab eodem glorioso Apostolo circa annum 440, eique in primum dedit Episcopum sanctum Muredacum cuius festum celebratur in ista dioecesi 12 augusti. Huic fuere successores, sed quot et quales fuerint ad annum 1151 ignoratur; a memorato autem anno ad praesentem facile esset seriem Episcoporum Alladensium texere, observando quod in aliquibus retro saeculis vocarentur nunc Alladenses nonnumquam Tiowlenses et aliquando sed raro Fiacenses, sumptis his diversis appellationibus a diversis territoriis circumiacentibus.

3. Cathedralis sita est in agro Mayonensi vulgo Mayo in Provincia Conaciae, alias Tuamensis, et ipsa dioecesis qua longe protrahitur cingitur ad Occidentem a magno Oceano Atlantico, ad meridiem conterminam habet Archidioecesim Tuamensem, et ad Orientem et Aquilonem attingit dioecesim Accadensem. Longitudo eius et latitudo nullam inter se proportionem habent; siquidem illa est 60 milliaribus et ista in quibusdam partibus tantum 2, in aliis 8, et ubi maxima 12. Montibus et quidem difficilis accessus abundat, et nonnisi unum habet oppidulum vocatum Ballena divisum per insignem fluvium Moyn et celebre ex captura piscis Salmonis. De cetero ibi nihil rari habetur.

4. Ipsa autem civitas, dicenda potius Pagus, ab exiguo domorum et incolarum numero nihil notatu dignum exhibet, praeter Palatium

* Philip Phillips, appointed, Nov. 24, 1760; translated to Achony in 1776. This Relatio is printed in *Spicilegium Ossoriense*; III. p. 318 from a Propaganda copy.

et Cathedralē pseudo-Episcopi protestantis, quae et structura et ornatu tam interiore quam exteriorē potius humiles quam superbae videntur. Etsi sit portus maritimus omni tamen notabili caret commercio, tum propter regionis paupertatem, tum maxime quod portus facilem non praebeat accessum navibus appellentibus, nec appulsis securum asylum. Ad materialem autem cathedralē catholicam quod attinet, nulla omnino existit, quemadmodum et nulla ecclesia collegiata aut etiam proprie Parochialis; et idem dicendum venit de seminario, hospitali et quovis loco pio dotato, idque quod Ecclesia Romana, iuxta leges istius Regni nequeat habere stabiles redditus, quo nomine vocari non possunt voluntariae fidelium contributiones pro manutentione cleri saecularis et regularis.

5. Verum quum, largienti Domino, conservata fuerit in medio persecutionum et modo conservetur in Hybernia hierarchia ecclesiastica, quilibet episcopus habetur tamquam Ordinarius loci et censetur habere cathedralē et capitulum, non quidem ad servitium chori addictum, sed tantum ad eligendum vicarium capitularem, mortuo vel amoto per translationem Episcopi. De cetero tam dignitarii quam canonici qui capitulum componunt animarum curae incumbunt. Tale est Capitulum Alladense compositum ex Decano, Archidiacono, Praecentore et duodecim Canonicis, absque praebenda poenitentiarum aut theologali, etiam quoad nomen.

6. Dioecesis dividitur in tres Decanatus, quibus praesunt Decani rurales, et isti iterum, post aliquas uniones ab antiquo factas, in viginti Parochias et quatuor Vicariatus, administratus per totidem Parochos et Vicarios omnes e clero saeculari uno excepto solo, qui est regularis Ordinis Praedicatorum. In qualibet parochia, tribus exceptis in quibus Domini temporales religionis nostrae inimicos sese opposuerunt, habetur modo et quidem magna Ordinarii sollicitudine, domus unice ad Divina celebranda destinata, humilis profecto, sed nitida et sacris suppellectilibus sat simplicibus instructa. Ubi minor paupertas calices sunt argentei, ubi maior conflati sunt ex lucido et expolito metallo.

7. Quum Regnum esset undequaque catholicum Regulares in hac dioecesi tria habuerunt monasteria, nimirum Dominicani, Franciscani et Augustiniani; sed impraesentiarum nihil nisi nomen retinent, siquidem duo tantum sunt Dominicani in tota dioecesi, Franciscani duo et tres Augustiniani, iam senio confecti. Nullum est aut numquam fuit Monasterium monialium in hisce partibus, quod fortasse tribuendum est ipsius Regionis paupertati; alias in ea semper viguit et religio et pietas, quod vel ex eo patet, quod post tot graves persecutiones, in quibus multi, sed ex ditioribus, a Fide

defecerunt, duodecies plures perseveraverunt, ita ut ubi haeretici nunc numerare possunt duo, numerare possumus vigintiquatuor ad minus.

8. Episcopus exponens candide fatetur se ad literam non adimplere residentiae praeceptum; sed nec illud ita adimplere ipsi moraliter possibile est: nullus enim locus est in sua dioecesi ubi vel tolerabili cum decore permanenter habitare possit, neque similem habitationem, attenta dioecesis paupertate, sibi comparare valet. Igitur ex necessitate cogitur in vicinia extra dioecesim apud unum vel alterum parentem catholicos, ex primariis quoad bonam famam et fortunae bona, principalem tenere residentiam; idque revera absque dioecesis praeiudicio; siquidem spatio duarum horarum festino gradu, se illuc transferre potest, prout facere solet, causa praedicandi in una vel altera parochia etiam extra visitationem annum.

9. Vere affirmat visitare se in propria persona omnes et singulas paroecias et vicariatus suae dioecesis, semel quolibet anno; exceptis quatuor parochiis sitis in montibus asperrimis, et quasi inaccessibilibus. Istas tamen, summa cum difficultate visitat singulis tribus annis; quod profecto vix unus ex eius Praedecessoribus tam saepe perficere tentavit. In actuali autem visitatione constitutus si quid dissentionis sit, quod raro contingit, parochum inter et parochianos, qua potest moderatione et dulcedine (vi coactiva uti non potest) ad mutuam reconciliationem utrosque conatur inducere. Inspectis postea sacris suppellectilibus qualibuscumque et libris baptismatum, matrimoniorum et mortuorum, quos ab unoquoque parochio teneri, ipse primus episcopus Alladensis, ab infausta ibi haeresis propagatione, commendavit, ordinavit, iussit; convocat parvulos, eosque per seipsum non solum interrogat sed et docet pro illa vice Doctrinam Christianam, et quotquot idoneos reperit sacramentaliter confirmat, neque omittit in visitationis cursu, sermonem habere ad parochianos universos.

10. Ex quo Episcopus exponens promotus fuit ad Episcopatum, Metropolitanus cui subest nonnisi unam celebravit Synodum Provinciale, cui interfuit non secus ac ceteri suffraganei, per se vel suos procuratores, ast absque desiderata solemnitate, conditione patriae id non ferente. Nullam coegit dioecesanam synodum nec cogere potest, tam ob paupertatem, qua non modo ipse, verum etiam eius parochi laborant, quam ex suspitione magistratui haeretico forsitan ingerenda, aliquod contra se proponi vel concludi in eiusmodi congressu. Satius igitur et tutius est privatis statuere ordinationibus quicquid statuendum esset, in synodo Dioecesana, etiamsi alias convocari possit, maxime quod Parochi et Fideles eiusmodi privatis.

ordinationibus pro bono regimine factis non resistunt, et libenter acquiescunt.

11. Statutum igitur est in ista dioecesi, nullas exigi mulctas pecuniarias nisi pro dispensationibus et denunciationibus matrimonialibus, idque potius ad conservandas in vigore leges ecclesiasticas, quam lucri causa, quod tam longe a mente Ordinarii abest, ut tenue emolumentum quod obvenit, totum in pios usus impendatur, et adeo notorie ut nulla omnino apud populum maneat avaritiae ex illo capite suspicio. Dispensationes autem in 2^o et 2^o simplici, ex speciali Sctae. Sedis indulto, gratis omnino ut ab eadem Scta. Sede iniunctum est, conceduntur.

12. Statutum quoque est ut quilibet parochus explicet in lingua vulgari epistolam et evangelium cuiusque Dominicae, vel occurrentis festi de praecepto et postea sermonem habeat ad populum super illum Evangelii textum, quem magis expedire iudicaverit, dummodo non sit alias legitime impeditus: sed longe strictius iniunctum est singulis parochis ut impense et impraetermissis singulis diebus Dominicis sive ante sive post Missam parvulos coram populo congregatos catechisent, ita ut tam iuvenes quam senes probe instruantur in omnibus quae scire tenentur ad vitam aeternam consequendam; et revera tantus et talis est fructus eorum in hac parte laboris, ut nullo modo oscitentiae vel incuriae culpandi sint.

13. Pari providentia statutum est ut parochi societatem habeant ad invicem, maxime in habendis conferentiis in quolibet decanatu singulis mensibus, hieme excepta; cui ordinationi obtemperant diligenter, tractantes de re morali et dogmatica ipso Decano praesidente serioque studentes vitia extirpare quae in eorum respective parochiis praevalent. Ipsa subditorum quasi communis paupertas luxui viam praecludit; alia tamen vitia in quibusdam deprehenduntur, sed nullum adeo splendidum atque iurandi in vanum; et mirum quidem est quod aliqui rustici qui Anglice nesciunt loqui, anglice iurent. Specialis igitur cura est parochis in illud vitium omnibus modis insurgere, et de facto aliqui pravum illum iurandi habitum dimiserunt.

14. Non est cur Episcopus exponens queratur de suis parochis; etsi pauperes existant, apparent tamen zelo pro Dei causa divites. Unusquisque residet in sua parochia; applicant Missam diebus dominicis et festis de praecepto pro parochianis et debitam obedientiam et reverentiam Ordinario tribuunt. Unus solus de clero saeculari sed nondum de parochia provisos ei aliquid molestiae intulit. Voluit enim ipse per fas et nefas intrudere se in unam parochiam a quo iniquo proposito postea destitit, victus constantia et moderatione

sui Praelati, quem inter, et totum clerum tam saecularem quam regularem suae dioecesis perfecta subsistit harmonia.

15. Episcopus exponens dolet quod diebus festis in quibus ex indulto felicis memoriae Benedicti papae XIV licet vacare operibus servilibus, audita prius Missa, populus labori addictus Missam non audiunt neque rationabiliter ad id cogi possunt, propterea quod iisdem graventur incommodis, iisdemque subiaceant difficultatibus, quarum intuitu dispensatum fuit in non paucibus dioecesibus super clausula *audita prius Missa*; et signanter in Elphinensi, quae huic vicina est, etiam cum facultate transferendi festa dispensata ad sequentes Dominicas quoad solemnitatem. Humillime igitur supplicat, quatenus Sanctissimus Dominus benigne velit extendere gratiam dioecesi Elphinensi concessam ad Alladensem, quae est eiusdem Provinciae, ne dioecesani omittentes audire Missam in dictis dispensatis Festis, prout hactenus communiter omiserunt, peiores quoad conscientiam evadant occasione indulti apostolici vacandi operibus servilibus ut praefertur.

16. Magis magisque dolet connubia in hisce partibus fieri aliquando inter partes unam catholicam alteram haeticam, idque vel publice et cum mala fide, coram ministello vel aliquo perverso ecclesiastico ex nostris.

Utinam nullibi talis inveniretur! Ista connubia etsi illicite fiant, facta tamen tenent, nisi ex consanguinitate vel affinitate adsit impedimentum dirimens, quod rarissime contingit. Verum cum eiusmodi casus evenit et evenire possit, magnum Ordinario loci facessit negotium, potissimum ubi agitur de uxore catholica constante in Fide et contrita de delicto *commisso*. Haec a sacramentis et lachrymis et gemitibus expetitis, arcetur, donec se *separaverit* a marito haeretico, constanter nolente se ad veram convertere Fidem. Interim omnibus evidenter notum est huiusmodi separationem esse moraliter impossibilem, propterea quod ex una parte maritus secundum leges Regni eam ad cohabitandum secum cogere potest, et cogeret si opus esset; ex altera si fugam arripere voluisset, nesciret quo se conferret, neque haberet unde se sustentare posset; ut nihil dicatur de contemptu universali in quo haberetur. Haeret igitur marito sacramentis privata, et tandem in articulo mortis apparenter constituta, stante prudenti iudicio confessarii de habituali animi eius dispositione adherendi viro reputato marito, si convalescere contigerit, etiam tunc absolvi nequibit, nisi praesumatur alienum esse a pietate sctae. Matris Ecclesiae fidelem quemcumque sacramentis privare propterea quod non promittat et efficaciter facere statuat quod sibi esse moraliter impossibile cognoscit.

17. Episcopus exponens vehementer cupit edoceri quid in simili casu sit faciendum. Si ipsi licuisset proprium proferre in re ista iudicium, utique iudicaret expedire ut omnes Hiberniae Episcopi facultatem haberent dispensandi super impedimentum subsistens, et ratificandi connubium factum, postquam pars catholica condignam egisset poenitentiam non modo in delicti admissi deletionem ; sed etiam in terrorem aliorum, qui proclives essent ad simile perpetrandum scelus. Sed quod in hac parte, non secus ac in ceteris suae Dioecesis status exposuit sacrae Congregationis iudicio et correctioni, qua par est humilitate et filiali obedientia submittit, subiicit, remittit, sacram Eminintissimorum Patrum deosculans Purpuram.

Datum Clunmoriae die 20 septembris anni 1771.

Philippus Phillipps Episc. Alladensis.

[*Endorsed.* ALLADEN IN IBERNIA VV.SS.LL. R. AD
S. O.]